(III) ...Alex. (Georgii I nepos).

...ane. Jos. Impetus Lubomirsciani

Srzeniavae.

IMPETUS
LVBOMIRSCIANI SRZENIAVÆ
Lechicum lætificans Orbem,

In ſolenni ad Palatinatûs Sandomirienſis Faſtigium Ingreſſu
Celſiſſimi, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini
D. GEORGII ALEXANDRI
S. R. I. PRINCIPIS, in Wiſnicz, Iarosław, Koniecpol, Szarogrod, Iazłowiec, Raſzkow, COMITIS, Ducatûs Roſinenſis
HÆREDITARII DOMINI

LUBOMIRSKI,

PALATINI Sandomirienſis, GENERALIS, *Velt* Mareſchalci
Exercituum S. C. M., Sandecenſis &c. &c.
C A P I T A N E I;
dum
inter feſtivos applauſus, ſplendido apparatu, & tripudiantibûs omnium animîs Opatoviæ exciperetur
è Voto publicæ lætitiæ
à

M. FRANCISCO IOSEPHO DOMANIEWSKI,
in Alma Vniverſitate Cracovienſi Philoſophiæ Doctore,
Ejuſdemq; Profeſſore, Canonico Livoniæ &
Piltinenſi, Præpoſito Dambrovienſi,

officioſiſſimâ pennâ profundæ venerationis ergò

DEMONSTRATUS.

Annô Quô,
IMpetVs eX CæLIs sIstIt noVa gaVDIa soLo.
Die 21 Auguſti.

CRACOVIÆ, Typis Jacobi Matyaſzkiewicz S. R. M. Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Cracovienſis Ducis Severiæ Ordin: Typographi.




Tempestate
pretiosus
Anni
Grandia dona refert Cœlô SRZENIAWA serenô
Diluvium felix; Impetus ecce poli
Nectar inest haustis puro de Flumine lymphis
Vos Aquilæ nostis; Sarmatiæ, Latij

CELSISSIME
ILLVSTRISSIME & EXCELLENTISSIME
PALATINE,
Protector Singulariſsime.



Ræcelſam Nominis Tui majeſtatem inter feſtivas Orbis Poloni acclamationes exiguâ metiri pennà pumilio qvòd præſumat animus, non mirare. Diu namq; anxius hærens dubitabam, licet ne anſeri obſtrepere inter cygnos? cicadam adæqvari Pegaſis? Solē illuſtrare face? adimplere Oceanū guttà? aſt vicit audacia metum, profunda ſuperavit veneratio, quæ Tuis Faſcibus obviam venit. Terrebat prima præter cæteras propoſitum cura; ſint ne digna Tanto Principe? qvæ de Te ſint annotanda. Jpſe Honor Palatinus ex Palatino Romanorum colle in Lechicum Campum veniens ad Tuam eminentiam ſponte demittitur, inde major evaſurus. Jmpetu Gentilitij SRZENIAVÆ *cunctorum inclinat*

pectora, ut Tibi bene precentur, ora aperit, ut applaudant. Inter tot tantaq; de cultu Tuo certantium Oracula, hanc qvoq; exiguam non despice pagellam, in qva nudas virtutes Tuas expono, non exorno, gravē illaturus injuriam si novîs coloribûs, præter nativos pervetustam depingam Imaginem. Mereris Princeps cedrum pro pagina, aurum pro stylo, gemmas pro verbis qvibûs immortalia Tua opera secuturæ posteritati exarentur, & hoc nihilominùs materiâ grande, formâ exile opus non rejicies; utpotè nosti benè: qvòd multæ gentes lac Dijs agreste libant, non Ambrosiam, litant salem, quibus thuris defectus. Publici soles non Pæstanas tantùm Rosas, sed spinas qvoq; respiciunt despectas; inter Principes hortorum pompas sylvestriū arborum umbræ non rarò numerantur. Temerarium ausum imputares, hoc Tuo honori à me conferri, qvod ex se pumilum est, nisi amplitudo Virtutum & meritorum Tuorum etiam tenuium Scriptorum pennas facundo spiritu animare soleat: me præsertim ipsa beneficia Memnonem non sinunt esse, ut desinam à publico plausu.

Celsitudini Vestræ

Devinctissimus Cliens & servus
Author Operis.

I M P E T U S
LVBOMIRSCIANI SRZENIAWÆ, Lechicum lætificans Orbem.



QVouſq; tandem Europeæ gemma Coronæ Lechice Orbis, ſub incude & malleo, hinc & inde conſpirantium malorum poſitus, profundis lacrymarum innatabis undis? quouſq; furentibus ſortis invidæ procellis ſpe fruſtratus ſecura, ad ultimam fatorum propulſaberis Thulen? quouſq; ſqualllida circumductus nube poſt eluſa vota labentes in deteriora ad calculum revocabis dies? nihilne te Sacra religio? nihil amor Civium? nihil legum ſancita? nihil Gentis liberæ voces, in tam dolēda luctûs oppreſſoris licentia adjuvabunt, fulcient, ſolabuntur? Gentilitio *Principis Palatini Fluvio* animata pennâ te alloquor, mox impetum lætioris eventus prolaturus. Nullam profecto partem Tui ſecuram habes, cui etiam ab invalido non noceant vires, nullam animorum faciem ſerenā, quæ aſpera

 ſuper-

ſupercilij nube, in rugoſa fronte funeſtum aliquem impetum non minetur. Plagas Tuas Spectatores percurrimus, ſed cruentas; Diſtrictus ſervitute conſtrictos, villas in favillas redactas miramur. Ruunt velut agmine facto in commune nefas, cognatæ Accolarum acies, rupto fœdere regni in ſua viſcera convertunt dextras, licet eis nunquam defuerit Hoſtis, ut tanto impetu reliqvum boni publici evertatur. Solicitant Conſos in Curijs curæ, ſed privatæ; favores in Iudice, poſitivis in Codice legibus præferuntur. Vnde, proh dolor! leges exleges, Iura perjura, catenata libertas, vita ad mortem invita, fortitudo debilis, infirma ſalus Patriæ, periculoſa ſecuritas, infelix felicitas, opes inopes. Invida undiquaq; fatorum ſeries ſummis ſtare negat, pacem excutit, pellit populum nimio graves ſub pondere lapſus minatur. In ſe magna ruunt, nec modum ut ſubleventur habent, prominent in Vrbibus ſemirutîs tectîs mænia, lapſis tumulata murîs ſaxa jacent, caſu ſuo proximam ſtantibus promittendo ruinam. O Superi! tantane vos tenuit oblivio noſtri, tranſiere tot temporum felicium vices, conſtans Sarmaticæ fortunæ rota in circulum vertiginis vitioſum; Cythara in communem converſa luctum. Vivimus annorum ſpatia, quæ dum in ſe per ſua luſtra labuntur, ad noſtrum revertuntur interitum. Gangetico

tico

tico pulvere ubi menſurare ſperámus dierum horas, alterno choro riſu & gemitu redeunte, copioſîs eas emetimur lacrymîs. Quòcunq; incedimus, illico veſtigiîs noſtrîs propero paſſu comitatur quemq; ſua calamitas, & tanquam conjurata nobis in vitæ ſociam deſponſatur. Greſſus ubi figimus, veluti extra Patriam peregrini, ut feſſi gratā capiamus quietem, ulteriùs impellimur fatîs, nec aliter ſtare poſſum⁹, niſi caſibûs, aut barbaris undiq; cincti gentibus, quarū veſano impetu agitamur. Animus meminiſſe horret. Frendebat ingenti terrore conjuratus Gentium furor, ruebat concatenato nexu immanitas effrenata olim capta & captiva, tunc in Arcubus ſuis hìc triumphalis eminebat. Cadebamus ſervilium armorum fulgore excæcati, ab enſibus ex raſtris fugitivorum cuſis quot ictus pectoribus noſtris inflictos numeravimus Cives, tot aduſq; ſignatas in fronte Patriæ numeramus cicatrices, efficaci deſtituti remediô, quô pellantur. Vidimus aſſeclas perfidiæ Coſaticæ Scythas tanquam famelicos canes ſe invicem vincientes inſanire, quibus præda non alia fuerat in nefario curſu, niſi innocuam venari libertatem. Vidimus Sarmaticis obvia ſignà ſignis, & pila minantia Pilis. Viä candidâ, quâ per Nigrū Campum ad Clyvum Triumphalem Gentis Li-

beræ invehitur candor erga Patriã, Fidem, Legem & Regem, Moſchoviticus Eques rebelli turbæ conjunctus, ut conterat eminentiã; Tranſmarinus Svecorum Leo ſociatus Tranſſylvano, fremens ore cruento, ut vaſto hiatu nobile patrimonium devoraſſet; violento impetu incedebant. Miniſtra Iovis Aquila Polona, quò altiùs generoſa incitante ſeſe virtute evolare niſa, eò humiliùs hoſtilî violentiâ inter ſpem & metum eluctandi detinebatur, & cuj Solem inſpicere irretortâ pupillâ libera conceſſit natura, vehemens ſenſibile Lunæ Othomanicæ ſupra Senſum ſibi poſitum fataliter paſſa. Cernebamus ventorum turbine noti, cedere Zephirum & etheſias, ubi Boreas tantùm latus ſiniſtrum Aquilonis contingens, Noti dextrum, deſcendebat in ortus, Eurum tenens ſociũ, Sarmaticæ quod fertile ſupererat terræ vergens in occaſus. Igne urebamur, inficiebamur aere, ſuffocabamur aquarũ copiâ, fluvios quos habem⁹ toties adimplevim⁹ lacrimis, curſu eorũ nutrientem Cererem, almam fauſtitatem, ſubditorũ caſas, poſſeſſa terrarum adjacentia rapuiſſe, evertiſſe, deplorantes. Porro mens horret, ſtupet animus, nutat calamus, ubi feliciùs intingatur? undè ſumat fauſtiorem ſtyli impetũ? quô te mæſta Patria conſoletur? aut publicum depellat mærorẽ. Hinc ſolummodò aſſurgit in ſpes meliores lætio-

ra

ra notaturus, ubi Gemma Principum appropinquas Coronæ, corculum Procerum, cunctorum votîs & desideriîs Senatorium Lechici Orbis cōscendis Augustal, *Celsissime, Illustrissime & Excellentissime Princeps, Palatine Sandomiriensis*, non hāc tantùm Majestati Tuæ de novo collatâ Purpurâ, ast mille altioribus à Majoribꝰ Tuis circumductꝰ. Aquæ multæ, Senatꝰ Populusq; Polonꝰ à fronte, à tergo, & á lateribus Tuis in novam erumpunt præ gaudio vocem, ubi id, quod pridem à bonis Superis ferventibûs precabantur votîs, nunc hilaribûs cernunt oculîs, altiùs scilicet Gentilitiū Tuū *Srzeniavam*, quà nativū consvevit dirigere cursum, elevari, Te Civem Sagô Togâq; conspicuum adorari Patrem & Consulem Regni. Converte succumbere nescia somno lumina: quos Comites habes, quà procedis. Ipse gradus honoris jure meritò decumanis meritis Tuis destinatus, ex quo Te altiora sibi precantur, gavisus inter publicos attollitur plausus. beatioris sæculi spem jam prope langventem salubri Fonte Gentilitij Srzeniavæ Tui Orbi exhibet suscitatam. Cælum, quô tegeris ovans, sidera dextra undiquaq; te comitantia præstat, sereniorem nobis explicat vultum, dum Te, quem sat alto Semideorum de sangvine dedit, altiùs videt progredi & promittit, quò virtus & merita vocant. Mu-

tat terra vices, quam pede triumphali teris, à vestigio Tuo novum induit lætitiæ apparatum, pacis oleas & victrices palmas, quibûs Lechicus coronetur Orbis, liberaliùs profert. Flumina Regni conjurato fædere, unita virtute prætereunt rippas, Istula, Sanus, Danubius, Bugus non jam undis, sed gaudiò spumant, hilares pro murmure voces, vocales pro impetu plausus, profundos pro fluxu flexus ad *Srzeniavam Celsissimum*, qui totum honoribûs circumfluit Orbem, demisso poplite refundendo. Ad Solemnia hæc Ingressûs Tui festa, ita toto Orbe Polono populorum gaudentium reflorescunt studia, ut etiam ipsa aligera Fama, ultra naturam, quâ fingitur, discursus volucres imitetur: & plus quàm mille tubarum Classicis divulgata vocalis, omnium Regni Civium plausibus sociatur. Non Tibi necesse rimari mentium abdita, eminet tunc vel maximè alacris omnium ab extra jubilus, dum procedis, splendet in vultu cujusq; hilaritatis publicæ Color non depictus, in serenis frontibus ovantia animorum indicia exultant, exundantis lætitiæ amplitudo se capere nequit, rumpit pectorum latebras, foris prominere cupiens, ut non vastior esse, quàm candidior videatur. Vellem Te, ni natura negaret, reserare cordium tesseras, occultos scrutari recessus, quid præter gaudia & vo-

ti-

tivas acclamationes? quid præter impetus à *Srzeniava,* Lechicum consolantes Orbem cum tripudijs? quid præter Tuam magnitudinem, quâ cunctorum oculos, mentes, ora, lingvas, & vultus attonitos facis, & præter Te ipsum veri non fucati candoris penicillô depictum reperires? observares. Non dedignaberis tamen humilem Clientalis pennæ reverentiam, quæ inter coloratam aliorum Facundiæ elegantiam nuda prodit, veritati solummodò innixa, ut explicet candorem, Orbem Polonum Honoris Tui Palatini vult fieri Spectatorem & Comitem plausûs, utpote impetu Gentilitij Tui *Srzeniavæ*, in læta tripudia & solatia excurrentem.

Spatiosas in suis latifundijs Regnorum ditiones, inter cætera desudantis naturæ & artis beneficia, quibûs cumulatæ florent, refertæ firmantur, labentes resurgunt, à diffusa fluentium Aquarum copia, scaturiente in sui fines & viscera exundantis lætitiæ à condito Orbe per tot sæculorum labentium decursus, gloriari alveô, magistrâ rerum Experientiâ didicit orbis. Tanta equidem navigabilis elementi fluminum præstantia est, ut cæteris imperet, omnia lætificet, unum, & totam, quà latè patet Mundi sublunaris substantiam, tanquam spiritus vitæ diffusus per

artus animare & alere videatur. A scendunt Aquæ Superas Cælorum ædes, & illinc terrigenis beatiùs fluunt, scandunt in sublime, in densa coalescunt nubila, sed cadentes *omnium in terra nascētium causa fiunt,* (a) raptum diem, Phæbumq; mundi oculum restituunt clariorem. Quà Boreas, Eurus, Auster, Notusq; effrenati furunt reserato carcere Fratres, ut terram quatiant, ruinâ Vrbes violent, ut floribûs depopulentur arva, quà vagos copulent ad littora pisces & scopulis miseros properent impingere nautas: aqvarum leniori impetu componuntur. Quidquid fervens Canicula ore torrido necat, incendere animantia volens, resartiunt undæ, & quæ cocta ab æstu nimio languent, vigori restituunt suo. Si quà furit immissîs habenîs Vulcania pestis, funesta incendia volvens, dura consumens, cineriq; fortia tumulans doloso, Limpharum influentiâ detinetur, circumfusa. Injectæ telluri fruges, operatrice agricolæ manu quòd in fæcundas Cereris regenerent spicas, gramina in campis, arbores in sylvis fructicesq; minimi, quòd suìs virentibûs foliìs, amæno vere, post aspera glatialis brumæ tēpora mortalium exhilarent mentes: has vires terræ vitales aquarum beneficiò esse experimur. Fluunt svavî susurro aquæ per totum terrarum Orbem,

(a) *Plinius Lib: 31. Cap: 1.*

bem, alibi frigidæ ardore refrigerant uſtos, alibi calidæ frigida mortalium incaleſcunt pectora, *unitæ alibi & tepidæ morborum auxilia confe- rentes è cunctis animalium hominum tantùm causâ erumpunt.* Aliæ vigore, aliæ vapore læti- ficant mæſtos, aliæ corruptis corporum nervis medentur, luxatis fractiſq; pedibus greſſum repa- rant, ſanant ulcera, amiſſos capiti & auribus ſen- ſus; amicum oculis reſtituunt lumen, extra nau- fragos caſus non rarò (a) *medios inter fluctus exiſtit aliquid valetudini ſalutare.* Clariori lo- quar emphaſi: tolle aquarum ductus, ſiſte flumi- num impetus, Fontium cohibeas curſum, ſi na- tura annueret voto, abſq; Sinveſſanis aquis ſteri- lis & inſana Campania fiet, Roma ſine Albulis vulneribus vivet, ſine Cydno flumine Ciliciam circumdabit Pedogra, ſine Leucogæo Fonte Pu- teolus & Neapolis cæcutiet tota. Areſcet ſine Nilo Ægyptus, ſine Oceano tota Mundi Machi- na in cineres & favillas diſſolvetur. Verùm quid eſt Calame? exteris Regnorum immergeris un- dis fluminum impetu agitaris, in Patria Peregri- nus, rumpe moras ex *Amne Srzeniavio,* lætio- rem Lechico Orbi impetum notaturus. Quid- quid à Tyberi Latium, à Lino Arcadia, à Ti- gri & Euphrate Aſia, à Tago Luſitania, ab Her-

 mo

(a) *Idem. Ibidem*

mo Phrigia, ab Hydaſpe India ſpumantis gaudij concipit, id totum *LVBOMIRIVS Srzeniava* naturæ beneficiô ſuperabit. Per partes cætera flumina terris & populis lætitiam ferunt, ex *Srzeniava* omnibus omnia ad votum Lechiadis fluunt. Illimis *Fluvius* hic nitidîs argenteus undîs cryſtallino virtutum candore in Patriam fluit, ut ſi funereo contingat eſſe denigratam ſqual lore; emundet, & emendet. A leva ad dextram prorumpit, nulla ſiniſtra, cuncta dextra & dextera Regni finibus inexhauſto volvit redeuntia ſæcula motu. Allatus ſuperîs Cœlorum Ædibûs, caput inter ſidera tenet, veluti à Polo originem ſumens, demittitur ſolo, ut nihil non cœleſte, nihil non ſublime, quod æternitatem non ſapiat ipſâ; videatur afferre, & cùm incurvatâ lineâ arripiat iter, exteris quoq; affluit non defluit terris. Campus ei, quem percurrit placidus, non pudoris ceruſsâ, ſed cruore ex hoſtium cervicibus fuſo purpuratus.

Lene fluit Nylus - - - - - - - - - - -

(b) *Nullas confeſſus murmure Voces,*
Acrior & rapidus tacitè prætermeat ingens
Danubius rippas, eadem clementia Sani,
Gurgitis immenſum deducit in oſtia Gangem.

Sed cunctîs amnibûs utilius extat *Srzeniavium Flumen,* leniori impetu dulcem inquietis animis ſo-

(b) *Claud: de Man: & Th:*

ſoporem cauſans & odorem. Præbuit hic *Druziniÿs* aquam fortitudinis & gloriæ immortalis. In acie vocat *Druzina* ad Claſſica Hoſtem, decertat ſtrenuè nec vincere poteſt, ad *Srzeniavam* felici principio pugnæ fauſtiorem impoſuit Coronidem victor; & mæſtam Patriam lætiori coronavit eventu totamq; victricem Campaniam ſuo Nomine fecit glorioſam. (c) *Pellitis ſolummodo ovibus dulce* flumen Galeſi memoranda refert vetuſtas, aſt & illud ad *Srzeniavæ* dulcedinem amareſcit, qui famam Regni Civibus inſtar Oceani exundantem & gloriam advehit æviternam. Securæ hìc natant Heròés, non merguntur, aſſumunt ad prælia vires, non deponunt refecti. Iactet inani conatu Septemtrio Oſtrogitorum flumen ſaxeas rerum omnium formas acſi arte confectas in alveo ſuo continentem, non tamen *Srzeniavio Amni* cõparabit. Illa namq; in confuſo tãtùm manus, pedes & capita, hic innata, quâ ſpumat, virtute diſtinctam ab incultis, communem omnigenæ perfectioni *Druſo-LVBOMIRSCIORVM* formam, quam ipſa ſæculorum poſteritas aurô fuſò imprimendam perennantibus exporrigit faſtis, intra ſuam latitudinem tenet, Lechicæ communicat Genti. Pluviîs nonniſi ad auctus Zenen Fluvius aureas pilas volvit novo

 ter-

(c) *Hor: lib: 2. Car:*

terrarum Orbi, at *Srzeniava LVBOMIRIVS* copioso Cœlestium gratiarum adimpletus imbre, tot majori pretio auri optimi globos, quot capita defert. Accendit Martiales in pectore cōtra hostem ignes, non extingvit. Evehit ad præcelsa honorum fastigia splendorem Domûs non obruit, & quoties arescere Lechicus incipiat Campus, toties illum saluberrimîs sensibûs non desinit irrigare. Martiam *Srzeniavæ* si dixero aquam, non errabo: (d) *illa enim clarissima aquarum omnium in toto Orbe; Frigoris salubritatisq; Palma præconio Vrbis inter reliqua Deûm munera Vrbi tributa.* Hæc in Lechico langventem reficit Libertatem, infixa lethaliter publicæ integritati sanat vulnera, inter cætera magnarum Familiarum decora Semideos producit viros, arma & Curules locò littorum prætermeans tenet. Quoties aqua Claudia ab æstu aliquem patiebatur defectū, (e) toties Caput Vrbium Roma & Colles celeberimi sitiebant vigorem, ast si *LVBOMIRIA* in minimo (caveant Superi) defecerit *Aqua*, sitiret Lechia ad morum gravitatem Catones, ad Clavas Hercules, ad Curules Emilianos, ad Leges Licurgos, ad consilia Consos, ad Curias Iustinianos, ad liberalitatem Trajanos, in amore Patriæ Scævelas, uti

(d) *Plin: l. 31. Cap: 3.* (e) *Front. L. 2.*

ſitiret in Purpura Principes, in Toga Platones, in Clementia Veſpaſianos, in Religione Alphonſos, in Fide Defenſores. (a) Fluant ex Nure ſubtiliores Cicilidis potantibus ſenſus, ex Lico interfuſæ lampadibus Lymphæ remotos Eoi irradient tractus, Cantabri ex Fontibus Tanaricis auguria ſumant, (b) *augeant inſuper* aquarum ductus *numerum Deorum nominibûs variîs, Vrbeſq́ condant*: id totũ Orbi Lechico *Srzeniavius Amnis in Lubomirijs* compenſabit. Habent innatam vim ac fortitudinem flumina Plinio teſte. Avellunt aliæ à radicibus montes, (c) aliæ arbores irrigando ſaxeas efficiunt moles, aliæ parturiunt columnas, quibûs Etruria fulciatur, aliæ innatãtes oleô & adipe ungunt, nec impar SRZENIAVæ ineſt teſtimonium. Quotquot hìc creſcentes boni publici immerguntur curæ, in adamantinam coaleſcunt firmitatem. Quotquot enatant Heròés, tot Rhodiîs firmiores Coloſſi, aut indefeſſi Athlantes, in quorum lacertis ſecurè Patria labefacta quieſcere poteſt & fulciri. Hinc ergo quò profundiùs Gentilitio *Srzeniavæ* Tuo Oratoria immergitur penna *Celſiſſime Princeps*, eò ſublimiùs in Domûs Tuæ Illuſtriſſimæ elogia enatare cogitur, ſacra videt & Penetrales Deos Imperatoriæ Stirpis patuiſſe ſibi, ingentî extollitur gaudiô,

D &

(a) *M. Varro.* (b) *Plinius.* (c) *Leandr. Boet.*

& viciniùs Cælo accedit. Exundantis lætitiæ impetũ habet, præclarô inuſitatæ virtutis Tuæ excitari documentô. Mutat innatum pallorem in Purpuram pagina, ſæpia funereo veſtita colore, lætiori candore in calamum fluit, ubi Te præcelſo Nobilitas antecedit greſſu, centum vetuſtas origines nectens, milleq; Ceris Avorum per populos ſeſe diffundit, bellatrices Martis Clavæ & litui, Togæ, Faſces lauriq; victrices, & ingens retrò florentium titulorum examen circumdat. A Tiaris Mitriſq; varietate gemmarum diſtinctis, quas volvit *Srzeniava*, grave pondus verborum levitas, quæ animô fertur; mutuatur, á radiantiũ coronarum nexu juncturam, à Purpuris Majeſtatem, à Claſſicis ſonum, à DRVSIARVM ſideribus Frontium & diadematis ſplendorem, à ſangvine illo, cujus ipſe Iupiter Auctor, divinitatem quandam derivat. Et Genus altum & Proavos & Cæſarum jactas Nomina, utroq; à ſangvine Iovem ducens, à quo tertius Ajax, non turmali ſerie Parentum cretus, non priſcæ lucis egente de Stirpe venis, non trabe neq; remis, nec Clavo paupere Senatoriam Curulem Lechiciq; penetrale Senatûs advena pulſaſti, ſed præeunte Majorum Tuorum ſplendore, *Celſiſſime Princeps*. Genitum Te ſibi non factum adoptavit Curia, cui vix primam Lucina intueri lucem conceſſit, mox Tyrios ex

mo-

more ſinûs principemq; Tunicam agnovere humeri, quibûs jam prope labens Patria ſublevanda. Hoc, mea, quô Tu ad altiſſima tendis, procedere debet Panegyris calle, unde Domûs Tuæ aſcendat magnitudo, cùm alius eſſe nequeat, qui ad lumina Tua conducat, niſi probitatis & titulorum tractus. Hic eſt Tibi Clientalis candoris conatus, hæc meta applausûs, ſine termino, hic impetus Lechicum lætificans Orbem, ultrà, quàm elogiorum inveſtigare ſpatia. Hic Herculeis viribus & Oratoriæ licentiæ labor: nam quidquid laus vera in alijs per partes hæreditat ſibi, Domui Tuæ inquilinum manet, virtutis & gloriæ percurrere campum. Generis originem Tui naſcenti ferè Imperio Romano coævam habes, (a) quæ principia & ortus ſuos in LIVIORVM Familia, à Cunis ejuſdem & Natalibus deſumpſit. Priùs ipſi Lechicum Regnum in tutelam ceſſit, quàm in titulum, ut Regium pro ſuo, & ſuum pro Regio ſpiritum *Domus* teneret LVBOMIRSCIA. Thronum hìc pro baſi, Coronas Succeſſorum Lechi pro cunis, purpuras pro faſcijs nacta, ibiq; cæperunt eſſe DRVSO-LVBOMIRII, ubi Reges imperare. (b) In DRAVSORVM Nepotibus adeò crevit, ut à DRAVSO Hoſtium Duce, aliter per cædes & vulnera deſinere nequi-

(a) *Cornelius Tacitus.* (b) *Suetonius.*

quijſſet, niſi in Purpuratum DRVSORVM cognomen. Hinc Genus Tuum *Celſiſſime Princeps* à Magno forte deductum Gradivo, majori CLAVDIORVM adjungitur ſtirpi, viciniùs Majeſtati IVLII Cæſaris & OCTAVIANI Augusti nexu ſangvinis admovetur, amplitudinem illam Romanam, ex qua ſolatium Orbis, & terrarum Fortuna, Sacraq; religio primordia cæpit, quatuor Imperatoribus decoravit, unde Lechicum lætificet Orbem. Verùm cum perſæpe, fæda crimina moveant animos Potentum, ut ad pænam ſontes non ſine labe trahant, ingens DRVSIANA fortuna comitem ſui invidiam ſentit. Splendor ille, à tot tantiſq; Atavorum Ceris derivatus in AVRELIO DRVSO tanquàm vehemens ſenſibile invidum SERVII GALBÆ cæterorumq; Auguſtorum veſano militum furori, imperantium cum læſerit ſenſum, ne Tyranni extingvatur manu per Illiricum in Lechicos educitur Campos, præceſſit veluti Aurora Solem, Domûs Tuæ Celſitudinem, ſerenum diem lætitiæ ſine occaſu magnarum Familiarum accenſurus, eò ſecurior ſui, quò cordi & pupillis Lechicæ Aquilæ propior. Primum ergò pro ſtipite Domûs Tuæ *Celſiſſime Princeps* Romanum *AVRELIVM DRVSVM*, Imperatorum Nepotem, LECHI Comitem cerne, qui olim ſangvine

Ale-

Alemanico satus, hic Polonus viciniùs Polo accessit, solo Diademate suis Majoribus impar, par sangvine tamen in Posteris prima titulorum conspicuis fronte. Latiam ille Purpuram nobilitati post habere conatus; definitum priùs Legibus Orbem immortalibûs suîs ampliavit gestîs, regendo & frenando asvevit, antequàm in Nepotibus Polonã firmavisset libertatẽ, antequàm latiorem impetum in *Srzeniava* Tuo Gentilitio Orbi Lechico attulisset. Majestatem hanc videt Europeus Orbis & miratur in extinctis Aborigenum coronatam Ceris ad augem usq; moderni temporis per tot sæculorum Olympiades præcelso sangvini Tuo domesticam esse, quam cum primo Parente mundi Sarmatici *LECHO* uno itinere latam Serenissima Resp: per multa Diplomata Regũ *LESCONIS ALBI*, (a) *BOLESLAI PVDICI*, (b) *CASIMIRI MAGNI*, (c) venerandã agnovit decrevit iudicavit. Nam quidquid olim Caput Vrbiũ Roma magnificũ & illustre in diversis Principũ Familiarum Heròibus vidit, jactavit & justîs ad æthera honoribûs elevavit, in una *LVBOMIRIORVM* Prosapia impetu *Srzeniavæ* allatũ experitur. Non curat ex ruderibus Antiquitatis resurgere Achilles, Scævolas, Curtios, & Martes, cùm hic Semideos Viros; in quibus

E Dij

(a) *Anno* 1206. (b) 1252. (c) 1376.

Dij; antequàm nati fuiſſent, latuêre, primîs honoribûs decoratos ad *HERACLIVM DRVSVM ſupremum Exercituū Ducem* & ab illo longô recenſendos ſyllabô venerata, qui animi corporisq; robore non ceſſit Valerio, nec palmam militaris adoreæ conceſſit Camillo. Inter arma vixit, crevit, & ſenuit, dulci & decoræ pro Patria morti ſe ſocium dedit, ſuperavit fortiſſimum Chiliarchā, nō impar Honorio in Filio *NICOLAO Palatino Cracovienſi*, in Nepote *ADRIANO* de *Lubomirz Comite DRVSO Vexillifero Cracovienſi* non uni Alcidæ adæquavit. Signa hic Polonæ prætulit Aqvilæ, Ejus non degener Pullus, impetum lætitiæ Orbi Lechico è Ternione Filiorum dedit. *IOACHIMVS* non Major pietate floruit, quàm bellô & armîs, ubiq; pro Patria vividā Martis præferebat imaginem. Quanta virtutum fragrantia, & qvantus meritorum valor ex *DRVSIANO* Fonte Europeo Orbi reſultaſſet *HYACINTHVS* probavit. Paternæ probitatis Hæres & bonorum *PRÆCLAVS in Lubomirz Comes Caſtellanus Voynicenſis* conſiliîs Curulem graviorem fecit, quàm accepit. Genus altum à Sangvine Cæſarum, Sarmatiæ latum dici meruit *LVBOMIRSCIVM* aduſq; ad formoſam diei invidiam, op-

pro-

probriumq; Solis præclarissimum, ut discat posteritas magnam virtutem in magnum debere desinere Nomen, quæ in DRVSIS exundantî alveô per sæcula fluxit, ne in Posteris minuatur, Regibus amabili cursu, admirando Gentibus impetu à *Lubomirz* in Lechicum diffunditur Orbem, licet eô capi nequeat; *LVBOMIRSCIA* nuncupata. Proinde metire, quod de Tuo honore audeo *Celsissime Princeps*: undè ej victimem: Hecatumben non quæro, Laurus non excido, nec Dodonæas quercus, ut oracula coronentur, sacrati cineres toto Orbe majores, quos excutio inOlympũ Tuæ gloriæ consurgunt Famosæ nõ fumosæ Imagines Majorũ Tuorũ, in quibus Tuam magnitudinem, & eas in Te adoro illustriùs, in Punicas Panegyres Orbi coætaneas factis ante fastos refertas, ante annales Annorum non solùm in plenas, sed & graves componuntur, humilemq; Stylum altiùs cogunt eluctari. Non vacuam se penna Sæpiæ stillîs deplorabit, memorem censum magnis Manibus persolvendo. Non moriuntur enim, qui mortales exuvias ponunt, famam non exuunt; spirat in mortali cinere insepulta probitas, nec delentur immemori temporum astu Nomina, quæ doctiorî calamô, immortali Cedro, & æternitatis adamanti insculpuntur. Fateor meam Artificis calami facundiam obscu-

 ram

ram esse *PETRO Comiti Archiepiscopo Gnesnensi* occurrentem, & in ipso encomij accessu trepidare, ne ad altum tanti *Primatis* fastigium evolans Icario lapsu audaciùs extendatur. Ille ipse excelsi sui honoris excelsius fastigium erat, meritorum suorum grande opus prensans. In cordibus populorum vixit, in eo corda omnium, candorem erga Rempub: Primatiali Purpuræ præferebat. Primus Princeps Primatum in fideli Patriæ cura sic gerebat, ut fortunatîs successibûs langventes Regni eventus reficiens, DEI Vicarius immensô Cælô destinatus Statûs utriusq; Caput, & validus diceretur Athlas. Cruce Pontificia, quam prensabat, Passiones incutiens Hostibus, ab omni malorum culpa Patriam; ne pateretur adversa absolvebat, & benedixit, ut exuberantî lætitiâ Lechici campi replerentur. Longum foret spatium cuncta brevî complecti periodô, de *JOANNE Castellano Visliciensi*, & ex ordine singula deliberare stylô, quæ multorum animorum studia confundunt, ast cùm Ejus reverentiam virtutum adoro, & taceo gesta, viva pietatis simulacra præ foribus excubantia transporto in animos, Gratiarum in Senatu, non ingratum Patriæ prætereo Civem. Alij summö locantur fastigiô, ut mobilibûs vulgi aurîs suspensi, altiùs eluctentur, *MARCVS Palatinus Sando-*

domirienſis ſolùm hoc egit, quod meruerit, Senatoriam Curulem virtutum celeritate adivit, non flagitioſæ largitionis aut faſtûs. Vltrò dignitas in Ejus confugit ſinum, veluti interitura, ſi non admitteret petentē. Vltrò ſe ei faſcis ingeſſit, ne libertas ſine conſilio *MARCI* faſcinetur. Acceſſit ad ordinem Senatorium Paterno tramite, Fraternæ virtutis Comes PAVLVS *Palatinus Lublinenſis*, qui Senatum Conſiliorum ſeniô maturiorem reliquit, quàm ingreſſus. Non defuit Illi à Fronte nec ab Ore ſuffragium ad Sanctius moderamen, cùm etiam Majeſtate ſupercilij terrarum regimina mereretur. Traheret ultra pennam meritis ſuis in elogium, ni in *LIVIVM NICOLAVM Archiepiſcopum Gneſnenſem* feſtinaret evolare. Altò Stylum invitant Pontificiæ hujus Primatis dotes, & latentia ſub Purpura Tyariſq; decora, ſed quid dico latentia? imò quas minùs patere voluit, ad facem Honoris tanti cōmiſſa clariùs enituêre. Lumine ille mentis à præclaris Majoribus accepto, craſſas errorum nebulas, diſpellebat, meridianam ſucceſſuum lucem producendo Lechiæ. Tantum ei conſilium boni Superi dedêre, quô flagitiorum extirparentur fibræ, virtutum radices extenderentur, odiorum ſupprimerētur initia, disjuncti unirentur ſenſus, amicitiæ revireſcerent. Cor Regi & Spiri

tum Reip: se præbebat Archipræsul, cum quo ut meliùs vivere cæpit, sine eo vix desijt semimortua à dolore. Affricam monstrorum Parentem Primatiali fortitudini providerat DEVS, cùm in Consiliū Constantinense Legatione á Serenissima Repub: fungeretur. Iverat intrepido passu, audentior contra innumera Hæresum monstra, unus omnium sensus victore animo complexus. Adfuit fausto omine infractus Scipio, quô labefacta Fides egebat, novum ab exitio portentorum relaturus Patriæ Nomen, Pastorale Pedum pro Scipione, Crucem Pontificiam pro victoriæ signo Constantinopoli velut alter Constantinus magis & æquiùs formidandus Hussorum Sectæ, quàm Romanus Scipio Affricæ, eô namq; devincente, adusq; deplorat formidinem suam ingenti profligata strage hæresis, & in exiliū impietas exturbata. Ter albô gloriæ calculô adnotatum *ALBERTVM Succamerarium Cracoviensem*, porrigit antiquitas paginæ imprimendum, ut Principi Nobilitatis principes referantur laudes, ni eas magnitudine excedat. Granities Palatinatûs æquè mensus ac custodijt, tanta in causis illarum formavit decreta, quæ nec ipsa Astræa reformare audet; solis Oratoribus tulit præjudicium, quòd ob altitudinem meritorum nequeat mensurari. Injuriam; quam honoribus per contemptū

fe-

fecit, in Nepotibus compenſavit. IACOBO indomito belli Amatori prima & excellentiſſima ſors Paternæ Virtutis erat, inter armorū ſegetes ſpatiari & exinde immortalē gloriæ colligere meſſem, honores mereri non habere; ad galeam caput, quàm ad Curulem; ad ægidem extendere manum maluit, quàm ad faſces, jurato Marti pectore, nihil unquam fovebat præter thoracem cum fortitudine. Alter IACOBVS *Caſtellanus Sandecenſis*, nō hôc ſolùm, ſed & omnî titulô major, cùm in hoc Senatoriæ dignitatis limine ſteterit, cæpit ab omnibus ambiri, quòd quemcunq; ad-miſiſſet, digniſſimè laturus crederetur. Hujus pietas, omnis affabilitas, in agendis rebus ſagacitas, abſq; cæterorum comtemptu magnificentia, formidandus barbaris gentibus animus, per Filium ejuſdem gradus Succeſſorem *SEBASTIANVM Caſtellanum Sandecenſem*, in tantum culmen excrevit, ut Orbem raperet in ſtuporem, in Nepotes cùm deflexerit, ſupra calamum elevatur. Ignoſces *Celſiſſime Princeps*, quòd reliqua Penatum Tuorum inter Divos non recenſeo Nomina, ne exiguâ hâc paginâ arctentur, aut imperitô artificiô depingenda graviter videantur temerari, notiora Hiſtoricæ & Oratoricæ recentis ſæculi pennæ; ut ſic magnitudinem exuberantis lætitiæ Orbis Lechicus ab impetu Gen-

 tili-

tilitij Tui SRZENIAVæ cernat, exemplaria repræsento.

Primum illud, cui par nec Sæcula Platonica dabunt *CLEMENS Castellanus Cracoviensis, S. R. I. Princeps TRITAVVS* Tuus. Qui olim cordibûs Procerum animo & pectore Regum, Hostium altâ memoriâ latitabat. Fortunatum & augustum hujus Senatoris Caput Delphicus Tripos dici meruit, in quo quotquot graves boni publici versabantur curæ, tot oracula pro responsis, ad secunda vota Patria referebat. Præbuit se in Curia virtutibus Clypeum; quô suam integritatem tuerentur, in omni foro vitijs fulmen, quô terrerentur, saluti ægræ Patriæ emuletum, quô curaretur. Didicerunt Proceres ex *Clemente* Clementiam; quâ vinctis parcere, vocem; quâ aures Principum, sensum; quô Senatus Majestatem adimplere deberent, fortitudinẽ; quâ aurea Libertas à ferrea servitute Hostium defenderetur. Quam fidem DEO, Principibus suis, cexterisq; Imperatoribus, ac Reipub: debitã, belli pacisq; tempore inviolatam totâ vitâ servaverit, præter profligatos Tartaros & Scythas magnum illud Turcicum in Hungaria bellum sub LVDOVICO *Bochemiæ & Hungariæ Rege*, ubi Herculeis viribûs repræssalia *SOLIMANO* dedit Regiam Albam oppugnanti, audẽdo

pro

pro re Christiana, donec occubuerit, contestatur. Assurrexit Patria jam prope lapsura, bellis Cosaticis, Scythicis, Moschoviticis, Valachicis, Sveticis, Turcicisq; gravato, levante se Atlante *IOACHIMO Capitaneo Jasslinensi S. R. I. Principe Filio CLEMENTIS ATAVO* Tuo, *Duce Exercituum Regni Curiæ SIGISMVNDI AVGVSTI*,(a) quem ipse campus bellandi, continuæ contra Hostes vigiliæ, & triumphales palmæ sæculis porrigunt coronandum. Inter mille fortes armatus, nesciens vinci, steterat, quô visô stupuêre acies, tremuêre Hostes, disparuêre agmina, ubi fulmen illud vi admiranda heroici pectoris detonaret, totum Exercitum ad non dissimiles ausus animando. Stipabat Regium latus, cordi intimus Ductor, fatorum in medio vitæ immemor, hoc non nisi altô præsumens animô: Regis cas, occasum esse; nec Cedrus sine adjacentium, nec Thronus sine subditorum ruina cadit, cunctorum utiq; quando suam Reges animam exspirant. Cōtra eundem immanissimum Christiani Nominis malleum, cujus Pater duritiam fregit, aliqvot Equitū sui Regiminis & curæ collectas legiones in oppressum Hungariæ Regnū, vix sub armorum pondere spirans introduxit, feliciùs respirare fecit.

(a) *Papro: fol:* 146. 1529.

cit. Liceat hìc in Avo Nepotem, in Parente Filium, in Nepote Avum, in Filio Parentem, *Comite in Wiśnicz, & Jarosław SEBASTIANO S. R. I. Principe Castellano Voynicensi, Sandomiriensi, Dobczycensi, Małogostensi, Scepusiensi &c. Capitaneo ABAVO* Tuo parî memoriâ venerari, qvi tertiô renovatô Turcicô bellô in Hungaria in Expeditione Grunebaldensi, præter novem cataphractas *Srzeniavitarum* cohortes, innumeras Equitum Peditumq; phalanges, propriis impensîs & fortunâ *Augustissimo* quondam *Romanorum Imperatori RVDOLPHO II.* Herculeîs viribûs ad exitum usq; ejusdem belli submiserat; ubi quidquid gloriosum & triumphale actum est, obligatum Imperium Fidesq; refecta, *SEBASTIANO* imputavit; adeò: ut intuitu tantorum meritorum *Illustrissimæ Prosapiæ* Tuæ, per longam sæculorum seriem in campo Gradivi & Bellonæ florenti, in Senatu & Purpura natæ, *in CLEMENTE & JOACHIMO* per *CAROLVM V. Romanorum Imperatorem, SEBASTIANO;* per *RVDOLPHVM II.* (a) nova dignitas *Comitatûs S. R. J.* accessit concessa, conformata: nec puduit Purpuram tãto inesse Viro, qui non sibi; sed Patriæ vixerat pro-

mo-

(a) *Diplo: Ferdinand: Tertij* 1642.

movendæ. Titanem ille imitabatur luminosum, quò se vertit, caliginosas cladum imminentium avertebat umbras, publica, quæ lustravit negotia, illustravit; fastigijs ultrò se quærentibûs, meritîs obviavit, nec ideò in augem cucurrit: ut hæc suæ sublimitati sit meta terminalis; ast ita: ut mediatione virtutis celsiora quæq; Sibi conjungat. Ad omne laudatissimum obsequium Patriæ præstandum non Eum disparentis gloriæ fastus, non spes reportandæ gratitudinis, non honoris assequendi ratio; sed vis innata amoris, Civium integritas, boni publici conservatio, Divinus, quod maximum, cultus, Cœlitumq; honor permoverat, promovendus. Manum semper aperuit indigentibus liberalem, *Ecclesiæ Viśnicensi* Fundatricem non clausit, cui immobile posuit fundamentum, ut se ibidem æternaverit tumulando. Extulit altiùs *Srzeniavæ* sui impetum, ut magis Lechicum lætificaret Orbem in Filiabus ex *ANNA* gratiosa Divis *de Rusca BRANICKA*, susceptis, quas magnis Heroibus *JOANNI Duci in Ostrog, Castellano Cracoviensi; ZOPHIAM NICOLAO OLESNICIO Palatino Lublinensi; BARBARAM IOANNI ZEBRZYDOVIO Ensifero Regni, Neocorcinensi, Lanckoronensi &c. Capitaneo; CHRISTINAM Jllustrissimo STANI-*

NISLAO KONIECPOLSCIO, Castellano Cracoviensi, Supremo Regni Exercituum Duci conjugiô junxit stabili, propriasq; dicavit in Socias vitæ. Impetus hic in magna Filiorum Nomina *STANISLAI, GEORII, & IOACHIMI* transfusus, plus quàm septemplici Nilô exundat. Quid non scribit memoranda vetustas? non adscribet posteritas rerum, gestorumq; magnitudini *STANISLAI S.R.J.P. Comitis in Wiśnicz & Jarosław LVBOMIRSCII, Cracoviensis Palatini, Scepusiensis, Nepolomicensis, Zatoriensis, Dopczycensis &c. Capitanei, Minoris Poloniæ Generalis. PROAVI* Tui Dignissimi, pro quo, ut parem habeant sæcula, non millenô interstitiô temporis, laborabunt. Non sufficit Ei ad gloriam immortalem Majestatem illam triumphorum *SIGISMVNDVM III.* dimidium habuisse cordis & oraculum laudis, adhuc Historicîs pennîs supra ingeniorum altitudinem assurgit. Nō longè laborandum, ut ducantur tam heroicæ virtutis argumenta: vidit hæc attonitus hucusq; Oriens, memores Chocimenses campi, quos pœana pro Classicis daturus, vix generosô animô invasisset; quidquid tentaverat in palmas effronduit. Quæ solent in alijs Victoribus sola laudari, in hoc uno supremam dignitatem primumq; liber-

ta-

tatis titulum non irrito possidebant conatu, nec otiosæ tuebantur. Nocte illa intempesta veniente Sarmaticæ Genti ex Ottomanica Luna, quam non pauciora illustrabant scelera, ut sidera solēt, vidimus ipsa virtutem oppugnare Astra, atras funestarum nubium procellas, dispellere libertatis lucem, omni interim felicium siderum destitutam usu, quæ diem inducerent nocti excubantium signorum fulgore, ubi sub tàm gravi bellorum pondere victoria pressa vix ad sidera attentaret ferri, ubi castris incubans auræ horror, effusa plumbeæ grandinis tempestas; quæ, non secùs, ac irritatus vaporeus àër, mugientium armorum telorumq; fulmine Lechicos opprimebat campos. Non tamen inter tantarum nubium tumultus Martius in Polonis evanuit vigor, nec sub Iove frigido intepuit, risit invidi aeris inclementiam non ignavus ex hostibus erigere Trophæa; hauserūt ovantium Polonorum dexteræ hastîs hostile latus, ex funesto Turcarum occasu, sine æternatura labe redijsse diem spectavit Sarmaticus Orbis, gerebantur cuncta secundo Marte, felicî bellorum Arbitrô, an potiùs feliciorî Phosphorô STANISLAO allucente. A primis hic incunabulis gloriosîs procedebat passibûs in Patriæ desideria, in omni honoris gradu vestigia triumphorum dedit. *Quô jam* STANISLAVS LVBOMIRSKI *adhuc*

huc Pincerna Regni maturiùs præcesserat cum suis legionibus in Moldaviam præeundo exercitui & commeatum sibi præparaverat copiosum (a) in suppetias Regni, quà *posthac universis præfuit* Dux milesq; bonus contra illam belluam parricidiorum furiîs agitatam, heluonem tot Regna absorbentem, in Oriente tumorem: eò processuros in sui elogia inopes facit Oratores. Dicat pro tunc pudore quàm damnô miserior, clade sua notior Orbi, quàm Imperiô OSMANVS, ubi caderet ni cessisset; dicat fatalis Turcicîs conflictibûs Chocimi Castellum campiq; madefacti cruore ex quibus triumphales palmæ excrevere STANISLAO. Testentur assurgentes campîs tumuli, squallida latèq; horrentia busta, si plena recludantur ossium Turcicorum, narrent, elevet vocem Moldavicus Tyras; quibûs tunc lymphîs fluebat? præter fortitudinem *Srzeniaviæ Aquæ*, præter sangvinem ex hostium cervicibus fusum, quos pisces alveô suô tenuit, præter Turcas victrici manu STANISLAI LVBOMIRSCII utriusq; Gentis militiæ cum CAROLO CHODKIEVICIO Præsidentis *occupatâ Tyræ Fluvij ripâ Ditionis Moldavicæ*, trucidatos. Gaudebat Bellona, quòd tantum possedit Virum sub omni spectatum Marte, cui similem consiliô & forti-

tu-

(a) *Piasec: Fol:* 390. 1621.

titudine vix aliqua proferet ætas. Plura se fecisse VLADISLAVS IV. testatus maturo sensu & sententiâ STANISLAI, quàm Pyrrhus facundiâ Cineæ vicisse, persvasit ille perseverantiam militum in castris, (a) ne moverentur; Hic decrevit contra Turcas, & steterunt, vicerunt feliciter hostem, ne Fides corrueret. Cecidit Fulmen belli CHODKIEVICIVS fatalem sui passus ruinam, multorum casu suo vicerat animos, luctu & pavore in fati imminentis imaginem converterat nutantia castra; solum LVBOMIRSCIVM impavidum sui effecerat Successorem. Successit in Præfecturam magno Heroi bellatorum Maximus Victor Viros supereminens omnes, eduxit Exercitũ (b) in præliarem arenam cõtra Turcas, manu tonans, lingvâ fulminans, utraq; commilitones movens, venit, vidit, vicitq; omnem virtute laborem, insolitô sæculis exemplô infractam OSMANI superbiam fregit, Sexaginta Turcarum millia totidemq; lue, vigiliîs, & inediâ consumptos superavit, *Ottomanicam Lunam* Patriæ suæq; Domui in arcum triumphalem convertit. Non immeritò *Supremus Exercituum Ductor* extitit post mortem *Caroli Chodkievicij*, cõtra *Osmanum Turcarum Imperatorem*, *siquidem in hoc munere quantum virtutis & fortitudinis suæ specimen ediderit, Hostis profli-*

 ga-

(a) *Idem Fol:* 240. *&* *Okolsciuʃ.* (b) 1621. *Okol.*

gatus sentit & Patria liberata testatur. Et *cùm in aliis Expeditionibus (quarum nullam omisit) Regni fuisset victoriosus, in Chocimensi gloriosus apparuit, in aliis vocatur Patriæ Amator, in hac vocatus est Pater & Servator. Russiæ Palatinus* factus, honorem & Nomen Avorum adhuc latiùs bellante extendit manu, ex Tartarorum profligatorum sarissis & sagittis Getarum, messem gloriæ collegit immortalem, (a) Vnum cæpit ex Principibus Tartarorum, ut cùm victo parceret, majori victoriâ coronaretur. (b) *Quē venerabundo præcelsa Cracovia vultu*
Suscipit, & rerum columen decusq; suarum
Indigitat virtus Patriæ; Quē Patribus ingēs
Et summo dignatur honore Senatus.
Quē stupuere Tyræ fluctus, cùm barbara quondā
Agmina prorueret, cùm toto Oriente cientem
Arma, & Sarmaticis nectentē vincula Regnis
OSMANVM *Patrio depelleret aggere &c.*

Porrò unus omnium laudes STANISLAVS, triumphos, & gloriam in nucleo tenet: tantùm enim fecit, quantùm collectæ Historicorum pennæ describere haud sufficiunt. Devictîs hostibûs, Numen devincere votîs in opere & exemplo non desijt, cui uti Supremo Exercitûs sui Rectori in Chocimensi Expeditione sumptuosam Basili-
cam

(a) *Piasec: Fol:* 349. (b) *Pastori: in Flore Polon: Epig:* 19.

Basilicam extruere vovit, in Vilnicensibus; Præpositura, quam Villâ Stradomiä, in Cænobio Carmelitarum Discalceatorum; quòd plùs quàm Regio apparatu ditavit; in Lubartoviensi Ordinis Prædicatorum fundato; ejusdem Religionis Monialium V. Beatissimæ ad Nives, Cracoviæ amplissima possessione & ditione bonorum ornatîs; exceptîs innumerîs Parochialibûs erectîs adimplevit, perfecit. Cuncta fecit Cælô digna & debita STANISLAVS Patriæ ex amore, Ecclesiæ ex pietate, omnibus singula ex comitate præstitit. Nihil ei defuit largienti, quas opes larga effuderat manu, habebat copiosas. Cælum coronavit pium; Patria venerata fidelem; inopes munificum extollebant precibûs, hostis Victorem timuit. *FERDINANDVS III Romanorũ Imperator*, Comitatu S. R. Imperij in vim gratitudinis cumulavit. Non novam advenisse Purpuram nato in Purpuris STANISLAO putes, quē Regia Sceptra & diademata circumdare volebant, Majestates precabantur novô Alexandrô gloriari. Possederunt hanc magni Atavi, Avi, & Pater STANISLAI à gloriosissimæ memoriæ Prædecessoribus FERDINANDI III, Divis Romanorũ Imperatoribus noviter concessam confirmatam, ob gestorum eminentiam, quarum, cùm gloriosîs vestigis graviter & fideliter insisteret

STANISLAVS á primo ſtatim ætatis ſuæ flore maximis incumbens, non modò ut pervetuſtum propriæ Familiæ conſervaret decus, aſt innato quoq; virtutum ſplendore illuſtraret, & eveheret factîs, poſſeſſam Principis tituli hæreditatem, ultrò heroicis inſilientem lacertis accepit, ut ampliorem Nepotibus daret ſub fideli Diplomatis tenore acceptã: (a) *Authoritate Cæſarea & de Ejuſdē Poteſtatis plenitudine, In Nomine DEI Omnipotentis Te Illuſtr: STANISLAVM LVBOMIRSKI, Tuoſq; liberos ALEXANDRVM, ſcil: GEORGIVM & CONSTANTINVM, omneſq; Hæredes & Deſcendentes legitimos utriuſq; ſexus, in veros S. R. Imperij Principes & ad titulum atq; ad dignitatem Principatûs Imperialis ereximus, exaltavimus & ſublimavimus, aliorumq; Noſtrorum & S. R. I. Principum numero, cætui & conſortio aggregavimus; Decernentes & hôc Noſtrô Cæſareô Edictô firmiſſimè ſtatuentes, ut poſthàc perpetuîs futurîs tēporibûs TuTuiq; Hæredes ac Deſcendentes &c. &c. quibus alij Noſtri S. R. I. Principes à quatuor vel pluribus Avis nati per idē Romanũ Imperiũ & ubiq; locorum & terrarũ &c. gaudent, prout antea exequantur & exerceant &c.* Redijt ergo à Druſis Imperatoria, ab Atavis Ducalis Purpura STANI-

SLA-

(a) *Privileg: Ferdinan: III. Annô* 1647. *Die* 8. *Mart:*

SLAO eò magìs pudica ſui, quò longiùs à Cæſareo LVBOMIRSCIORVM ſangvine aberraret, nunc ſe iterùm in ſpes meliores evaſiſſe viſa tantis tributa Geſtatoribus, in quibus olim Europeum ſuperaverat Orbem. Non procul à STANISLAI factis diſtat IOACHIMVS *S. R. I. P.* *Comes in Wiśnicz & Jaroſław* LVBOMIRSCIVS, *Dopczycenſis, Lipnicenſis, Tymbarcẽſis &c. Capitaneus*, annîs niſi & honore minor, non impar factorum magnitudine, in cujus meritorum theatrum Martialium Virorum maſculæq; probitatis ebur, effuſam Sarmatiam priſci ſtupêre Annales, cùm in Obſidione Smolẽſciana Regio SIGISMVNDI III. adhærendo lateri, feraces palmarum ingreſſus campos, eximia validi ſui roboris argumenta dedit, inter ſuperba trophæorum Septizonia ſæva inclamantes bella heroum viros, veluti ferreos in hoſtem, igneô accendebat animô. Plura feciſſet pro Patria, quàm alijs videre conceſſum, ni immaturâ fatorum audaciâ victus corporis ſui exuvias tumulo reddens, Cœlos animâ ampliaret. Ampliata gloria ſat immenſa STANISLAI Fraternîs meritîs IOACHIMI in felici Filarum Prole, quam Ducalis Materni ſangvinis decor ZOPHIÆ *Ducisſæ in Oſtrog* in utramq; lucem ſublimiùs tulit, quàm mens Oratoris concipere valeat; non decrevit, quibus

in connubio Cœleſtia munera magnorum Virorum contulere Divi. Aſſurrexêre Regna in Hymæneos Conjugij tanti CONSTANTIÆ & CHRISTINÆ, quarum prima FRANCISCO CZARNKOVIO *Capitaneo Miedzyrzycenſi*, altera *Celſiſſimo S. R. I. P.* ADALBERTO STANISLAO RADZIWIŁ, *Duci in Ołyka & Nieśwież, Magni Ducatûs Lithvaniæ Cãcellario, Pinſcenſi Neven-Cavnen: Tucholienſi, Vielunenſi &c. Capitaneo*, optatos amores animi conjunxere. Verùm cùm ex fortibus fortes natura generare ſolet, charam Iovis Sobolem in Martes & Apollines; ab Ænea ſangvinem in Iulios defijſſe cernimus, Filios STANISLAI, MICHAELEM, SEBASTIANVM, & CONSTANTINVM, Conſos & Alcidas Regni veneramur. Conſtantis fortunæ extiterat compos Patria CONSTANTINO HYACINTHO, *S. R. I. P. Pincernâ Regni* ſaluberrimam ſibi fortitudinis Ambroſiam propinante, quam langventem toties & conſiliorum refeciſſet anthidotô, ni fatô alite veluti Ganimedes alter in Cœlum evolaſſet immaturus. Ex MICHAELE ALEXANDRO, *Palatino Cracovienſi, Sandecẽſi &c. Capitaneo* non minùs lætiorem impetum reportaſſe Orbis Lechicus fatetur, quàm ex Patre. Antiqua hìc fide Senator in Patriam, non

ſo-

ſolùm Majorum ſuorum decora præclarîs adaugere contendebat geſtîs, ſed etiam priſtinos illos ſpiritus Heroum & Conſulum Regni, acerrimos Polonæ Libertatis vindices & fidiſſima Majeſtatum munimina in ſe uno circumferebat, in Regno magnis Heroibus addidit ſplendorem, undè alij clareſcunt. Gravis & prudens utrâq; fortunâ celſior animus Senatoris hujus & dignitas in pretioſo virtutum unione IOSEPHO *Supremo Mareſchalco Regni*, qui tàm pius in DEVM, quàm humanus in homines, & in hoſtes fortis Scipio, tàm æqui tenax, quàm peritus legum, tàm ſudoris pro Patria, quàm eloquij profuſus ſpectabatur Pericles, in ſummum culmen excrevit, in fortioribus Camillis Neptibus ſuis Filiabus IOSEPHI TERESSIA & ANNA Regalibus ſolijs adæquavit. Mars clypeô melior, ſanguineq; Iovis præſtantior, primæ *CAROLVS Princeps & Elector Neuburgenſis, Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Cliviæ; Montium Dux Supremus Comitatûs Tirolenſis Gubernator*, alteri, Phæbô præſtantior arcu, Herculisq; clypeô major, *PAVLVS CAROLVS LVBARTOWICZ SANGVSZKO in Biały Kowel & Smolany Dux, Mareſchalcus Curiæ Magni Ducatûs Lithvaniæ*, felicî ſociati torô conjuges extitere. Non premebantur gravî

K jugô

jugô corda Principum, ubi conjugiô tantô, animi Regnorum aureîs fæderati amoris vinculîs extiterant sociati. Si tunc Antemurale Christiani Orbis Polonia adversîs oppugnaretur armîs; detonaret bellorum terrore Oriens; Classibûs onerarentur æquora, si jungeretur Europæ Asia, totaq; Barbarorum feritas: fæderato Regalis conjugij nexu dissidentium Regnorum animi jungeretur, excitantibûs genialibûs tædîs accensus Regnorum extingveretur furor, stridentia Provinciarum mitigata arma, totus deniq; Orbis ad pacis tranquillitatem compositus cernebatur. Diffusus in Sarmatiam ex Electorali Neuburgensi, & Lithvana Purpura juncta Sororibus plausus, non minori latice in Fratre *ALEXANDRO DOMINICO S.R.I.P. Capitaneo Sandomiriensi* exundavit. Vitam momentîs adamante notandam impendebat Patriæ, quæ semper ad bonum publicum promovendum collimabat, nunquàm sine heroicæ actionis linea terminatam.

Medius in paginam venit inter Fratres beatus, *SEBASTIANVS GEORGIVS, S. R. I. Princeps, Comes in Wisnicz & Jarosław, Archi-Mareschalcus Regni & Dux Exercituum Cāpestris, Minoris Poloniæ Generalis*, AVVS Tuus rarô sæculô venerandus, cujus factorum Majestatem & præsentis lætitiæ impetum hôc uni-

ni-

nicô constare fateor; quòd cunctorum pennas & voces ad se trahant. Sed adeò immensum Oratoribus relinqvunt encomiorum tractum, ut qui ea narrare intendat, tangat solùmmodò indicetq; non extendat, nec celebret veluti sacra cultu, non eloquiô æstimanda. Plusquàm soliô & diademate dignandus, nisi ea protectrice manu tueri elegerit, quàm tenere, exemplô Victores erudiens: majus esse Regna mereri, quàm habere, Convolabat undiq; hostis manu potens, cæde nocens, violentus armis, metuendus ferrò, à raro Heròé vinci sciens, in viscera Sarmatici Regni corrodenda, solum *GEORGIVM* terrorem sui & contundentem malleum novit, quem Sarmaticus Orbis Libertatis suæ Tutellarem, Legum & Finium irrequietum Custodem secuturæ ætati prædicabit. Tempora illa protũc narro, quæ & si scientib⁹ difficilia captu, ubi vix respirare poterat Polonia laceratîs Reipub: artubûs, inter serviles Cosacorum & Scytharum dexteras hærens discerptîsq; visceribûs Vandalici & Transylvani Leonis Svecorum ungvibûs effusa, cum *Serenissimus* olim *JOANNES CASIMIRVS* agentis Patriæ fugientem per vulnera Spiritum vix tenere valeat post Comitia Generalia Varsaviæ (a) minùs fausto eventu peracta, fer-

 me

(a) *Kochovius Cli.* 3. *lib:* 1. *fol:* 33. 1662.

me omnibûs remediîs destitutus, *solus* (absit invidia verbo.) *Mareschalcus sub hæc LVBOMIRIVS Dambrovæ aliquantùm subsistens attenuatæ valetudini consulebat, aut re vera quò res variantis Aulæ sese inclinarent, meliùs ex distanti prospecturus; quòd in arduis Reip: negotijs ejus vis, & operæ pretium successu probaretur.* Inter deploratas Regni næninas, inter funesta feretra, quibus efferebamur, tot gentiū Vespertiliones veluti Titan lucidissimus, quò distantior, eò calidior excæcavit, vitam Patriæ dedit, animavit semimortuas Gradivi reliquias, favillas & Cineres in rogos triumphales accendit adeò; ut si adusq; spiret Patria, ei cor & animam debet. Eam alti Sangvinis & excelsi animi felicitatem in se præferebat, ut omnium sit gloria, quæ unius fuerat singularis. Omnì Virò Sapiētî major (a) *jacturam favoris subire maluit, quàm in statu* periclitanti *Patriæ consiliò deesse, aut obligatam officij Senatorij deserere functionem.* Vnam hanc securam ad immortalitatem Nominis, & palmarem fortium Virorum viam novit, hanc solam dignam heròé animo victoriam, palmamq; virentem; pravas cupiditates, quæ Imperatoribus Numinis instar manent, potiorì animi imperiò in meliùs flectere, infectas ani-

(a) *Idem Fol. 68.*

animorum pestes, quæ plùs exitij saluti honoriq; heroum, quàm hostes armati ferant; temperantiâ frenare, nec sinere multa bona unô vitiô deformare & tot meritorum gratiam majore culpâ, quàm causa culpæ fuerit adimere. Romano si proferam ore, Clavam Imperij bellici disciplinam militarem acriter detentam, Principatum Italiæ Romano Imperio dedisse, multarumq; Vrbiū, Magnorum Regum validissimum Gentium Regimen tribuisse, idem dexteræ Lechicâ Clavâ gravatæ non detraham *LVBOMIRSCII*, qui *acerrimus Exulis Regis in Patriam reducendi stimulus, & eximia fide, ne hostis potiretur, Insignium Regni Conservator.* Sceptrô, Coronâ, quæ conservavit, Rege quem restituit pupillatæ Patriæ Patrem, dignus censebatur, nisi meliùs virtutis fulgor radiaturus in umbra demissionis videri maluisset, quâ ut fortuna Regni dignè procederet, elegit minùs esse, quàm fuerat æstimatus. Maximus ille Sagô, maximus ille Togâ magnos Heroas unus agens, solum se omni opposuit pro Patria bello. Quoties accuratîs & futuri præsagîs signîs periculi commonuit Patriam, quoties infractum Thracio Marti infringeret robur, quoties tutam inter æstus Regnorum belli infensos restituerit libertatem, si penna avolaret paginæ, ipsa tumulata Hostium cadavera terrîs,

toto Orbe Polono Domitorē sui *GEORGIVM* testabuntur. Currimus ad posteros hucusq; gloriosi Duce *GEORGII* Clavâ, nec Metelli poscimus bellicam, quæ pubis Ausoniæ licentiam frangat, aut potentiam Iugurthæ comminuat, ubi hac sola & fortitudine *GEORGIVS* notus priùs hostem terrore vicit, quàm armîs aggressus & fortunam numeraverat pedisequam triumphorum, cujus, desperatam Patriam quoties participem fecit, dant innumeræ expeditiones documentum. Quid illa vastitas Cyclopum ad Kudnow Moschoviticæ & Cosaticæ turbæ, nisi talpæ monoculi ad illum belli centoculum Argū fataliter excæcati, quibus sexaginta millibûs cæsîs victîsq; cæterîs, in tantum (a) *sublimî meritô inclaruerat, ut dum ex devicto eo hoste insignem victoriam Regi CASIMIRO gratularetur, à Cancellario PRAZMOVIO mentis Regiæ interprete, sanè invidiosum vel saltim post fata differendum Patris Patriæ & Conservatoris Regni encomium tulerit.* O Heróèm inter tot fortes nescium vinci! plura reportantem trophæa, quàm cæteri prælia legere possint. Piątkow & Słobodyszcze 40000 Cosacorum cruentata cæde effecisti Cannas Annibal; Rugienti Transsylvani Leonis Hydræ in-

(a) *Idem Ibidem.*

injecisti frena Hercules Ad Ostrow 20000 bellatrice devicisti Clavâ, attamen cæsi licet quòd à tanto Heròé; tiumphabant, superstites cum fædifrago Principe capti, quibus pepercisti subiectis, debellado superbos, magnitudinem Lubomirsciani Nominis prædicabant Gentibus. Non hic Polono Herculi terminalis colossus triumphorum, plùs ultrà ille Odrysius Tyrannus in Chocimensi clade acceptîs vulneribûs notus, qvem solo nomine, asservato vaginæ ense còércuit, vicit, sævæ Vandalici Neptuni procellæ, ferrô manuq; vindice compositæ, gestorum famam & Majestatem *GEORGII* proclamabunt. Verùm amor & Imperium cùm se compati neqveant, mutavit qvidem statori rei Polonæ fortuna stylum, summis virtutibus aliorũ vitia adiungendo, non animum, nec animi fortitudinem, Causã si petieris ex Tacito sume: *Eousq; merita subditorum gratè accipi apud Regnantes, donec exsolvi possunt, ubi antevenére odium, pro gratia redditur.* Raro mortalibus more cuncta præmia excessit *GEORGIVS*, attingitur odiîs cùm præmiari neqveat, in Filiis se non minoribus gestis, quos marito virtute conscia Numini Magna Coniunx *CHRISTINA Castellanidis Becensis LIGEZANI* sangvinis Pontô profluens, *Srzeniowiô* suscepta *Amne* genialibûs toris Lechico

Orbi dedit, majori gratitudine coronandus.

Confundit impolitum Oratoris ſtylum *STANISLAVS Archimareſchalcus Regni* Poloniæ velut unus è Græciæ ſapientum vaſto Gentium ore divulgatus, qui tàm ingentem lætitiæ impetum ſapientî animô & præſtantî conſiliô Sarmatiæ dedit, qvô nec à Divino Platone, nec Stagirita Ariſtotele, nec Parente Romanæ Eloqventiæ Tullio potiretur. Eò ille cæteris eminentior Conſus, qvò ſapientior cunctîs. Linqvebant Muſæ Parnaſſum tutiorem Sapientiæ ſedẽ in *STANISLAI* animo eligentes. Die noctéq; librorum folijs impalleſcens illud lumen Majeſtati & Patriæ dederat, quô, ni Titanẽ confudiſſet, aduſq; cuperet illuſtrari. Caput Ei aurum optimum, de qvo non ſolùm Mercurij efformari valerent, aſt & ipſa Pallas eligeret naſci, ni nata ex cerebro Iovis, plura didicerit à *STANISLAO*, qvàm à Patre accepit. Mente Gymnaſia tulit, ubi ſtetit docuit, ubi ſedit movit in diſcurſum, ubi cucurrit motu ſcientifico, delectavit, traxit in ſtuporem. Ore oracula fudit veriora Delphico Tripode. Vnâ manu Caduceum Mercurij in Scipione Mareſchalcali geſſit, & alterâ bilancem Aſtrææ, hâc omne indecorum vincens, illâ æqvum librando, ſortes iniquas deprimebat. Quidquid dixit vim ſapiebat Legis, quid

quid

quid scripsit, non solùm luce publica, ast & Cæ-
lo acceptatum, suscepere præla exultantia,
Felix Senator, felix consilio Patriæ Pater, felicior
magnanima Prole. Non impar suo Herculi V-
xor *Fabio Lechico* ADAMO *de Granow Co-
miti in Myß & Szkłow SIENIAWSKI,
Castellano Cracoviensi, Supremo Regni Exer-
cituum Duci* gratiosa virilî animô Senatui AN-
NA altiùs virtutibus sublimata, quàm paginâ va-
leat comprehendi. De *THEODORO S. R.
I. Principe, Capitaneo Scepusiensi, Generali
Exercituum S. C. M.* quidquid narrem nihil
cōgruū magnitudini esset, si totus mens, tot⁹ lingva,
totus idioma fierem, tangerem quædam in Patriā
merita, non singula cōpetentî apotheosî celebra-
rem. Laudent consiliô Vlyssem veteres, fortitu-
dine Themistoclem Athenæ, Catonem morum
gravitate Roma: ostendit Ille tot documentîs
prudentiæ suæ & herois animi, in qua famæ
Classe reponi debeat. Volitabat ad prælia Martis
FRANCISCVS, solusq; per omnes ibat exerci-
tus, turbā agens unus in uno. Refugit toties mors
ipsa Virum, quam ni ipse inter arma sequatur,
mori potiùs eligens, quàm vivere Heros, vince-
ret omnem labore honorem. Illatus *Czernie-
choviensîs Palatinatûs* subsellio *IOSEPHVS*

S. R. I. Princeps, auget fines Orbis Poloni nominis Majeſtate, ſe tamen non excedit. In Faſtigio dignitatum poſitus humi ſerpere ſibi ipſe videtur, *hæc utiq; ſublimium maxima gloria eſt, quàm maximè ſubmitti, & ipſo humanitatis deſcenſu ſupra homines evolare.* Nemo Eum accuſat, nemo malè precatur, benè omnibus facienti: raró namq; Navis alliſa eſt, quæ modicô velô littus tegit. Diem perdidiſſe autumaret, quâ in egenorũ turbam liberali manu non jaceret ſementem, auream meſſem collecturus. Foris ab alijs nonniſi, domi neglecta publica curatur ſalus, apud Eum expreſſam felicitatis ſuæ imaginem proſpectat in magnæ Spei Filijs ANTONIO & STANISLAO; ex quibus ſolatium non expectat, ſed habet.

Non minuit lætitiæ Lechicæ impetum, multiplicat plauſus *HIERONYMVS S. R. I. P. Caſtellanus Cracovienſis, Supremus Exercituũ Regni Dux*, cujus imperterritus in prælia Spiritus decumanorum diſcriminum contemptor, grãde curarum pondus, primas actiones mentis ſoli Patriæ inſpirare, ingentes domeſticæ fortunæ impendere gazas in tutelam & defenſionem Libertatis perſvaſit. Priùs ipſi hoſtem vincere, quàm aggredi, numeroſa Caſtra tanquàm ludum pilamq; levem vincendo agitare manu, dies, no-

ctes.

ctesq; consumere armis, ne Patriæ lumen in occasum vergeret, solenne fuerat, & proprium munus. Augustale suum deseruit virtus bellica, tutam sibi in eo residentiam fixit, ut pote:: qui nutu ipso loquebatur bella, victorias, & triumphos, ex oculorum sole Frontisq; Ejus sereno victoriosi prorumpebant Patriæ hilaria Martis. Multarum legionum Præfectus pluribus virtutibus præfuit, quàm exprimi queant, tantùm Orbi Christiano sub Vienna profuit, quantùm desperatæ Græciæ Hector. Cordi & animo *LEOPOLDI IMPERATORIS* plùs adhæsit, quàm Ephestio Alexandro, votô tamen non respondit, Exercitûs Imperialis sibi Præfecturam conferentis more Themistoclis fumum dulcis Patriæ pluris faciens, quàm exteras gentes & se ipsum. Inde fortunatîs redux passibûs majoribûs dignus titulîs, non contentus. Quid valeat Martiali robore & animô eleganti? in improba Vkrainensi Hydra, in Moschovitico à Gotico Aquilone furente Equite indomita manu, infracto labore demonstravit. Olivam pacis Patriæ, sibi immortalem inseruit palmam Hercules. Terrîs Cælo cessit pro majori Victor corona, Patriam tamen non deseruit viduatam Pater, cùm ei in commodum tantos Filios dedit, quorum singuli claris Nomen Avorum Virtutibus æquant, optimi Im-

M2 perio

periô & fortes Bellatores in armis, Magnos Heroas impetumq; lætitiæ augent. *GEORGIVS S. R. I. Princeps, Notarius Regni Campeſtris, Boguſlavienſis &c. Capitaneus* tàm dignè ſtringit pennam, ut non ſanctiùs Iupiter ſancita ſua ſcribere poſſe videatur, gladium tamen non deſerit, quô terreat Hoſtem & devincat; Ejuſdem utiq; aut majoris æſtimationis eſt, agere laudanda & acta notare, pariq; lauru vinciuntur tẽpora, ſeu ſub caſſide, ſeu ſub doctarum cogitationum pondere deſudent. Lineas quaſcunq; ducit non ſolùm ad Regulas Iuris, aſt ad amuſſim etiam conſcientiæ rectitudinem notant. Scribit actiones ſed omnes meritorum, ſcribenda agit, utroq; virtutis & calami charactere nullô delebilis ævô, in magnæ expectationis THEODORO & MARIANNA ſobole poſteritati legendus. IOANNES *S. R. I. Princeps, Bolimovienſis &c. Capitaneus*, ſuo Nomine omniq; titulô & encomiô major, animô imperterritus, manu potens, conſiliô firmus, vultu gratioſus, nutuq; ipſo victricia ſpirans, decumanîs meritîs cuncta præmia cùm præcedat, excedit honorum faſtigia, quæ ſuo Præcurſori parantur. Sine diſcrimine invidiæ incomparabili comitate, tantùm laudis meretur, qvãtũ pleriq; per violenta & abrupta obſequia vix deveniant. Nomine magnus non minor gla-

diô

diô *ALEXANDER S. R. I. Princeps, Ensifer Regni, Smotricensis &c. Capitaneus*, Victorem se ut probet, prælia præponit quieti, quà procedit, triumphos ponit militiæ suæ rudimenta. Stylum multiplicat, auget gloriæ characterem, quem, ut cum cæteris perennet meritis, ferrô incidit cervicibus debellatis. Extra Culmen honoris Regni gladius esset *ALEXANDRO*, ni illum dexterâ agitasset, non tàm præferendo in Patria, quàm ultra fines proferendo in hostem. Nec quaternio Filiarum HIERONYMI à syllabo gloriæ removetur immortalis. Venustati aliæ innocentiam constanti & prudenti animo adjunxere, quòd tamen à vita honoribus immaturæ avolarunt, gravem fecissent Orbi jacturam, ni hanc in ANNA *Palatina Cracoviensi*, boni Superi compensarent. Titulos Ei omnes non recenseo, hos cum elogijs, si quæ vellet annotare penna, morum gravitate, prudentiâ solidâ, innata suæ Stirpi Majestate excederet, superaret.

Ingens & strenuus pro communi bono animus *GEORGII S. R. I. Principis, Palatini Cracoviensis, S. C. Majestatis Exercituum Generalis Leytnanti, Olsztynensis, Casimiriensis, Lipinensis &c. Capitanei*, meritis eò cum intimo, sibi Regum IOANNIS III. & AVGVSTI

II. feliciter Nobis dominantis pectore decertando evasit, ut quotquot titulis coronatus, cùm plures sibi deberi, quàm acceperit, nosset, infrà se posuerit Victor. Quoties intererat fortunæ publicæ militare hujus Senatoris ingenium, toties priscis belli Imperatoribus præripuerat gloriam, posito semel ad aram Apollinis Tyrocinio, ad sæva Martis munia in aciem ac Solem Aquila in fortia facinora servari indurariq; mentem simul & dexteram commodavit. Non ei Fortunæ, non vitæ ac sangvinis fuerat parsimonia, quidquid resurgentium cladium nimis plena prægnansq; mõstrorum Septemtrionalis parturijt Lerna, non sine eo peractum. Inter tot fastis Annalium sacrata Virorum de cultu Divino Matrisq; DEI in Toronensi Actione zelantium Nomina, inter nutantes cæterorum conniventium sceleri sensus, nullum rectius, nullum justius, nullum sanctius, nullumq; fortius eminebat Caput, quàm GEORGII finaliter decidentis, crimen læsæ Majestatis Supremæ, non aliter vindicari debere, quàm sangvine reo, in multorum capite vindice gladij ferro imprimi curavit Toronensibus, magnitudinis Ejus suæq; cladis ut posteræ hæreses discerent justitiam monitæ & non temnerent Divos. Multa tulit fecitq; Pater sudavit & alsit, manu, pectore, mente, pietate, consilio, & fortitudine pro Patria plu-

ra

ra in magnæ spei Filijs; *ANTONIO CONSTANTINO Casimiriensi* & *FRANCISCO Olßtynensi &c. Capitaneis*, quos publica salus & excelsi præstolantur honores, Orbi dedit Polono.

Vltimus Paternæ Majestatis & fortitudinis hæres, non postremus sonitu belli FRANCISCVS *Olßtynensis &c. Capitaneus* multoties infestas acies confudit, multoties vicit. Toties à finibus Regni Achilleîs viribûs furorem armatum clade sua contusum repulit, quoties barbarorum invaserat Castra, ubiq; Dux magnus, ubiq; Miles strenuus ferrô, manu & pectore, consiliô altus, cunctîs virtutibûs & meritîs magnus Rei Polonæ Stator, nomen libertatis Europeo Orbi in se portavit. Omnibus, quibus salus publica in pretio erat, sumere animum intrepidum in dubijs persvasit: tot vocibûs, desideriîs, ad Purpuram & Sceptrum optabatur, quot cordibus amatus, quot animîs æstimatus, quot lingvîs & labiîs Pater Patriæ dignus Imperiô proclamatus, ni fideliùs tueri mallet Majestatem, quàm eâ potiri. Beatos dixerim mortales, quibus gloriosum est maximorum Virorum insistere vestigiis, atq; ex illorum vita quod integerrimum, ex moribus quod gravissimum, ex Actionibus quod suis maximè salutare, & Hostibus formidabile esset in se exprimere uno. Longè Tu felicior illis *Celsissi-*

me Princeps, qui Tritavos omnibûs generis ornamentîs & virtutibûs laudatissimos, Abavos Atavosq; heroicîs actionibûs toti mundo commendatissimos, Avos omnium cõmodis Patriæ, famæ, probitati, honori, laudi addictissimos, jactas, Parentes illos, quorum summum Genus, præcellas Virtutes, amplissima merita, innumeras laudes nullum ingenij flumen, nulla dicendi copia & ubertas valeat, non loquar complecti orando, ast nec percensere numerando.

Mutavit Fratrum ordinem ; sed quid dico mutavit, imò stylum in impetum lætiorem direxit inter Patruos Tuos medius Divini forte numeri Semideorum claudens fortissimus agmen *ALEXANDER S. R. I. Princeps Sandecẽsis Periaslaviensis &c. Capitaneus, PARENS Tuus dignissimus*, ut propiùs ex eo qualis quãtusq; sis videaris. Angusti pectoris anhelantia vota, & volucrem pennæ gracilis cursum in amplissima ejus gloriæ stadia vereor mittere, ne fatiscat, ubi Heros magnusq; Patriæ Consus celsiores honorum fulgores mereri elegit quàm optare, illustribûs magnarum virtutũ documentîs superando invidiam, præstantiùs duxit ubiq; tueri & ornare Patriam, quàm ante merita dignâ curulî gloriari. Præscivit forsitan major nomine suo ALEXANDER se non diu posse Sarmatico compre-

hendi

hendi Orbe, auxit annos meritîs ut præmatura falleret fata, incæpit esse immortalis, cum vixit. Annîs alij metiuntur ætatem, ille Heroicîs pro Patria ausibûs mensurabat. Annum 28 agebat & finivit, centenarios tamen excessit, ipsum terrorem Orbis Alexandrum superavit. Hic Macedoniâ capi nequiens totum adinvenit Orbem; Ille quòd Sarmatico nequeat, cælesti citiùs comprehensus. Hic Gordios victore ense resecavit nodos; Ille indissolubiles hostium nexus in qualibet belli expeditione, quarũ unam etiam Ipsi omittere piaculum erat, etsi cum discrimine vitæ, Patrio acinace feliciùs restringebat. Hic exiguã Homeri lectitabat Iliadem de Græcorum gestis, Ille eximios amplosq; sanctiorum Legum Codices, accuratiùs manu, animôq; illimî revolvebat, desperatæ Patriæ in omni desiderio consulendo. Hic genus à Macedone tractum Divino Iovis adoptari curavit sangvini; Ille Marte in præsidium armorum accepto, pro Aris focisq; Religione & fide, ingentî sua suorumq; fortunâ ad Chocimũ cũ *Husso Bassaâ*, gloriosè decertãdo, ingentem castrorum copiam uno dissipando ictu, Macedonem ipsum superavit. Hic Orientis & Occidentis Gestator; Ille sub gravi curarum mole in Mareschalcali Tribunalitia, Oratoria, Comitiali, Tribunitia militari; functionibus indefessus persistebat Athlas.

Terrebat Gentes solo Nomine Alexander at ille fide in DEVM, & Patriam obsequiô fideli, morum comitate, gestorum constantiâ, animi fortitudine, amicorum observantiâ, innata generositate, pectora animosq; Civium vinciebat. Non Ei ex incommodis belli morbi aggravantis lucta, ad IOANNEM III. cùm rebelli fastu tumentem Vkrainam domaret, præripuit iter: vitæ suæ in media morte immemor, tenax famæ optimæ Cocles, furentium barbarorum impetum generosô còércuit animô, docuitq; Regibus subditum obedire. Fessus victoriis triumphando, non laboribûs vincendo, domum rediit iterùm semivivus, labores finivit non vitam: neqveunt etenim mori, qui non sibi, sed bono publico vivunt. Providus Patriæ & Domui suæ Celsissimæ Argus, ne fati sui violentia exundantem *Srzeniavæ* diminuat cursum, impetu *Sapiehanæ Sagittæ* altiùs extendit, cùm *CATHARINAM ANNAM Palatinidem Vilnensem* veluti unam ex choro Nympharum magnos in pretium Patriæ deprōpturam uniones, connubiali fædere *Gentilitio Flumini* adjunxit.

Vndè hic Materni sangvinis Tui illum cerne splendorem, qui se solô sat Lechicum illuminat Orbem, unitus LVBOMIRIO lætificat mæstum, solos Oratores confundit, cùm cespitantibus animi oboriatur oculis non feren-

dus,

dus. Atlanticis hic lacertis opus eſt, ut tot ſæculorum moli pares ſufficiant ſupportandæ. Quis & quantus gloriæ impetus Patrio *Tuo Srzeniavæ* ab hac volante ad altiſſima, acceſſerit *Sagitta*, ſi producere vellem, ſæcula momentô dicere, ſcintillâ illuſtrare Phæbum, guttâ adimplere Pontum, exiguâ Cælum metiri palmâ irrito exãbirem conatu. Facundum hic aggeribûs fractîs Mercurij pelagus latiùs undet, plures littore terras ambiat, vertantur teretes gemmæ in undas, aut totus Orbis in vaſta eloquij mutetur æquora, abeant ſtellæ in pennas, Cælum in paginam, tangeret Puſio animus magna *Sapieharum* cum geſtis Nomina, non narraret. Præmaturô Superum conſiliô feliciq; votô naturæ factum eſt de *Te Celſiſſime Princeps*, ut ad ſumma honorum faſtigia giganteo iturus paſſu, ex magna Progenie magnus naſcereris. Quidquid in coronatis Orbis Europei faſtigijs ſummum eſt, quidquid invidis Gentibus formidabile, Lechiæ glorioſum, id totum unica Amazon Lechica, *PARENS* Tua *Gentilitio Srzeniavæ in SAPIEHIS* ſacro fædere univit. Recenſeo ſolia Regum, Ducum Purpuras, Faſces & Curules Senatorias, Ducales Clavas, Mareſchalcales Scipiones utriuſq; publici Miniſterij decora, Claves, Sigilla, Enſes, Vexilla Regni, nec cogito. Infero me Ori-

entis & Occidentis Regalibus trabeis, in Martiali fiſtor arena: Trophæa, ſeptizonia, manubia SAPIEHANÆ dexteritati commiſſa cerno, & demiſſa. Quidquid puſione recogito animo, ſupra id omne, quod altiſſima excedit, in *Illuſtriſſimæ Matris* Tuæ nomine concentratum. Par Cælo hæc origine Domus, ſtirpe & excellentiâ Orbe Lechico major, pietate clara, glorioſa factîs, tot laudum exceſsus nacta, quot Virorum Nomina dedit, quot *Sereniſſimis*, *Celſiſſimis*, *Illuſtriſſimis Familiis*; *VLADISLAI JAGELLONIS Regis Poloniæ*, (a) *JOANNIS III. ex Ducibus de Betune*, *OLGERDORVM*, *LVBARTOVICIORVM*, *SANGVSZKORVM* M. D. Lithvaniæ; *GEDYMINOVICIORVM*, *Pinſcenſium*; *NARYMVNDOVICIORVM Roſinenſium*, *originaliter ex Ducalibus armis* (b) *MONDVIDORVM*, *MINIGALORVM*, *SVNIGALORVM*, *WISNIOVIECCIORVM*, *CZARTORISCIORVM*, *ZASŁAVIORVM*, *ZBARASCIORVM*, *CHLEBOVICIORVM*, *CHOŁOVICINIORVM* Ducum & Principum, *CHODKIEVICIORVM*, *KMITARVM*, *WOŁOVICIORVM*, *POCIEIORVM*, *CORVINORVM*, *FIRLEIO-*

(a) *Privil: Sigiſ: I.* 1512. (b) *Paproc: in ope: Stemmat.*

IORVM, PACORVM, TYSZKIEVICIORVM, WOYNARVM, DANIEŁOVICIORVM, KORCZEVICIORVM, TĘNCZYNSCIORVM, SZYMKOVIORVM, CHALECCIORVM, FRĄDZKIEVICIORVM, LASOCCIORVM, IESIENSCIORVM, POŁVBINSCIORVM primæ magnitudinis Decorum Regni & M. D. Lithvaniæ connubialibûs votîs sociata.

(a) Tàm altæ Propaginis Materni Sangvinis Tui, tàm augustum in Polonæ gloriæ Capitolio propilæum Serenissimo tot Principum Europei Orbis fastigio altum, dum unitum Paternæ Majestati cernis, Te ipsum, Qui Nucleus omnium es, Vnusq; sufficis pro tota Sangvinis medulla, ex utroq; metirê. Quis Te hìc ab (b) ipso ortu removebit felicem? cùm eam magnorum Natalium portionem nactus es, quæ per longam sæculorum seriem priscæ non indiga lucis, à cunis usq; Lechicæ Gentis ad Te extensa, adeò magnîs virtútibûs crevit, ut in Te Cælestium æmulò Spiritu transfuso Lechicum lætificaret Orbem. Ingens animus Tuus ad quævis sublimia natus, etsi ad cunctos præclaros ausus, qui veros merentur honores, præter Se ipsum, nullos admiserit duces, attamen ad virtutis Capitolium, avitæ gloriæ vetustas,

(a) *Incipiunt particularia merita Celsissimi Palatini.* (b) *Natalium splendor.*

tustas, Materni Paterniq; Sangvinis præcellentia indies Tibi prodromavit, ut Magnos Natales majores virtuti tribuere impetus crederemus. Iactent alij antiquas Atavorum ceras, extollant Majorum vultus, dimidios nasô Curios, & in curribus vehant Emilianos, fumosîs imaginibûs exornent undiq; atria; vivam virtutis eorum ideam, per exempla eundo, si in se non expresserint, vulgô ignobilî pares: Tu verò ex Majoribus Tuis non nominis tantùm, ast & gloriæ immortalis, quæ in actione virtutis consistit, decerpsisti florē, apis instar in svave convertisti mellificium, adeò; ut in dubium trahas animos de Te judicantes, plusne acceperis aviti splendoris, quàm reddis. Nôsti Nobilitate Sangvinis nobilitati probitatis adjuncta gloriari, maximum esse naturæ artificium. Procul utiq; à frutice Rosæ centofolia, quæ suū non servant colorem, & odorem. Quô innato comitatis decore cōmendantur parentes, eô fulgore debet progenies successiva. Censorij Catonis gravî superciliô spectabilis nota in Nepotibus Majorum Sangvine non deletur. Heluo sangvinis Vastator Regnorum Gradivus Heliogabalos, sed cruentos, aut Camillos fortitudinis suæ relinquit successores. Vt semper naturali jure paterna virtus in genuinam derivetur prolem, & fortes ex fortibus naturâ generentur. Cæli pigno-

gnora lacte Iunonis inserta terris lilia fragranti carpentem recreāt odore, urticæ pungunt nec delectant. Diffusi à Phæbo luminum patre radij totum illuminant Orbem, opacas pellunt tenebras, quæ Cynthiam matrem comitantur; Nocivæ mortalibus lymphæ ex limoso sese non movente lacu, si sumantur; fonte ex limpido perspicui latices proficiunt ægris, refrigerant ustos. Ingens ad maxima stimulus natalium virtus, nullô delebilis ævô Character Majorum, incorruptus sangvis in nepotibus purpurascens, elegantiori proportione in pares fontali origini efformatus lineas. Pudor non Purpura cultus gestare decoros, aurô fulgentes, Tyrio superbos murice usurpare, cui Thersitis facies aspectu fæda, ob aratam frontem rugis. Non oculus mundi in pupilla labe notatus, non lucis origo, quæ fatua phænomena parit, non augustus splendor, qui sæculorum non superat nubem. Ita sanè ad profanum vulgus à sacrorum cætu arcendi, uti lucis avitæ voragines & sensibiles umbræ, in quibus illustrium stirpium fontes deficiunt limitati. A pari argumento Semideorum numero inserendi Hectore Avunculo digni, quibus non solùm in splendoribus nasci, ast majores diffundere Posteris, ut splendeant, concessum, quos

- - - *citato præpes impetu virtus*

Supra ſecures Cæſarum & Nummæ faſces,
Regumq; & omne culmen Imperatorum
Aduſq; vexit ultimos fines.

Tua eſt hæc gloriæ Majeſtas, Tua in Te expreſſa, quam adamanti exprimendam porrigis Majorum Tuorum forma, *Celſiſſime Princeps*, qui compendia ſæculorum, in Atavis Tuis retrofuſa, collecta tenes, noſtrô & futurô ævö illud virtutis & gloriæ daturus exemplum, quod tota poſteritas intuebitur inexhauſtum. Periculorum contemptu, geſtorum magnitudine, indefeſſo bellandi ſpiritu, amore in Patriam ſupra Natales Tuos, etſi in ſublimi poſitos promines, animi verò magnificentiâ ora & calamos excedis, ubi ſi Te tãtîs encomiorum ſequi præſumant, quantîs Tu virtutum paſſibûs ad emeritam procedis Curulem, adhuc Princeps Eloquentiæ Tullius Tuam adoraret Purpuram, ſuiq; eloquij mare ad *Srzeniavam* videret diminutum. Libertatem & publicam ſalutem Regno Majores Tui contulere, Parentes plura, licet maxima egerunt, conferre non poterant, quàm Te Orbi Lechico dare, Qui quòd ævum omne elapſum magnitudine animi exceſſeris, Eos cum humano genere obſtrinxiſti, quibus pro mortalitate, quam acceperas æternitatem meritîs contuliſti. (a) Hydaſpeo pulvere
men-

(a) *Natalis Dies.*

menſuranda hora illa, quâ in viventûm ſtetiſti arena, puſione etiam pectore ingentes dotes cõplectendo. Totum canenda per Orbem dies, quæ oriente luce Tua optata Parentibus, fortunata Regno, gratiſſima Civibus, Hoſtibus ſolummodò formidanda illuxit. Circumdabant cunabula Tua Civium acclamationes, Vicinorum plauſus & officia, hoſtium luctus & gemitus vigilias egit, ex Te Nato, cladem ſibi formidabilem credidit eſſe eventuram. Inter vota Parentum conceptus, inter oracula natus, Menſe Decembri, Martis vera Proles in commodum Regni, ad incommoda omnia ſufferenda, prodijſti tanquàm Orbis prodigium, Lucinam primamq; Lucem *Celſiſſimæ Proſapiæ* ſplendore & Majorum origine deviciſti. Tempore, quô Matris ex utero terris fuſus es, paventes Titan alipedes retrò egit, humeris Tuis ſine mora illapſus Gradivus, Pallas ſiniſtrô brachiô, dextrô Hercules, Athlas in imis cruribus fixus ſteterat, totus per artus Iupiter vagus ſeſe in Te effudit, hinc totus Iovem ſpiras, pro lacte ſtillas ſangvinis ſuxiſti puer, quẽ ipſa Bellona nutrivit Cunæ Tibi Clypei fuêre, crepundia lanceas prehendebas, per terram dum alij ſerpere incipiunt, Tu per ſcuta reptaſti. Natus es *Celſiſſime Princeps* ut Phænix, cui etiam in Cunis alluxere, non tantùm ſolis radij, aſt etiam

Illuſtriſſimi honorum tituli. In dubium ipſo natali die moviſti Orbem, lucemnè priùs publicam? an præcelſas titulorum auges aſpexiſti? priusnè tenellum corpus faſcijs infantilibus, an Majorum Purpuris ſubmiſiſti? Creviſti fauſto omine Adoleſcens (a) de virtute in virtutem eundo, ſimul Tecum ſpes Patriæ, ſolatia Patrum, terror Hoſtium, crevit & maturuit. Cùm alij ad ferulam & arundinem levem, Tu ad clypeos & ægides extendiſti dexteram, ubi crepundia capeſſenda erant, faſces & thoraces prehendebas. *Qualia fundamenta jaciuntur virtuti, talibûs adulti mole nitimur.* Rarus, qui cum Themiſtocle, adoleſcentiæ ignonimiam magnis virtutibus emendavit. Tibi præ cæteris majus erat, inter adverſa teneros conſumere annos, quàm inter delicata otij, aut voluptatum lenocinia. Noſti bene: quòd cæca licet Fortuna ſocordes tamen videns odit animas, nulloq; cum illis ſvevit colludere favore, qui toti in luſus à pueritia profunduntur. Dediſti indicia in viridi, qualis in arido fueris, lineas in illa ætate poſuiſti, ex quibus modò cultiſſima Imago compoſita proſtet, ut non tam colorem ducere omnium laudabilium, quàm univerſa decora conſumâſſe videaris. Cæpiſti, quâ finis erat, primordia tanta,

(a) *Tenera Ætas.*

ta, id egisti, quod pauci meruere senes: jecisti basim, ut pro nunc immotam sedem virtutis & Capitolium immortalium operum, in ea fixum tenens, remonstrares.

Linquo in latice Virtutum Tuarum exundãtiam, (a) ad fontem calamum converto, ex quo Tecum major hausta profluxit virtutis & scientiæ affluentia. E cunis Te primô vitæ ineuntis vestigiô metiebar Gigantem, Cui non terra, ast præcelsus Majorum sangvis vires dedit, cùm major annîs ad maxima crescebas, nihil unquàm puerile in pusione corpore, præter ætatem, præferendo. Nunc viam illam aggredior, quâ alacer in Palladianas descendisti Athenas. Argenti metallum ijs literæ, quibus viliori de luto finxit præcordia Titan, aureus nitor ex meliori factis, Tibi Nobilissima Ducalis Sangvinis portione sato, pretiosæ gemmæ fuere ad Regni diadema decorandum, aureô animô acceptatæ. Terror quidam teneræ ætati eruditus Librorum pallor, algor ad studia puerorum animis, inter niveam foliorum commorari lucem ; esse solet. Te studiorum operam navantem nil terrebat præter unam ignorantiam, quem ipsa laboris molestia ad graviora quæq; sufferenda animabat. Vna Tibi cura fuerat, unumq; judicium mentis labo-

 rem

(a) *Studia.*

rem effugere, quod gloriam immortalem ſperneret, cùm acquiri poſſit, haud immemori: laborem virtutis eſſe comitem, & iter ad honores. Contraria veluti in alijs Pallados cultoribus ſtare nequeunt virtutis cum ſæpia candor, Virgines Muſæ cum verecundia, Martialis cum Pallade animus: Tu utramq; meſſem *Iagellonico* VLADISLAI IV. Manipulo feliciùs ſociâſti, & ſic eum ſolidæ eruditionis irrigaveras rore, ut in aureum Saturni culmum Ipſe excreveris; ab Eo electum granum in commodum Patriæ proditurus. Extingvunt alij lucernam Cleanthis Morphæi ſomnolenti, ne palleſcant; Tu eam in ſomnis copioſiorî ſapientiæ nutrijſti oleô; ut Libertati Polonæ, ne extingveretur, clariùs alluceres. Diſcendo docuiſti cæteros declinare à malo, facere bonum, & Diviniori Minervæ Scuto cum gratijs copulare tela. Non tam Pòëticîs pedibûs, quàm celeritate animi ſcandebas Parnaſſum, odiſti Lentulos, Ipſe Celerinus in literaria arena, prior omnibûs ad aureum Sapientiæ Pomum percurrebas Hyppomenes, ne Athalanta ignorantia triumpharet. Apollo Tibi laurus; chelym Orphæus videbatur ceſſiſſe, cum eam ſciendi methodum reſerâſſes vates carmine, quæ exanimes buſtîs reſurgere Marones inſolito more cogebat, ſaxea etiam pectora æmula virtute permovendo.

Pro-

Profundis eloquij ſenſibus immerguntur alij, planum nequeunt ſuperare, (a) accedunt ad Rhetorica lumina non accendunt, tenebras ſibi ſuperaſſe quærunt, dùm ſuperare volunt, & cùm omnia ſolertiâ mentis luſtrare conentur, obrutus denſa caligine ſenſus latet. Tu facundiæ illi vires animi dicabas, quâ diſſolutos acſi Gallicanus Hercules Regnorum animos permoveres ad juncturam, delectares pectora, doceres etiam ſapientes. Parùm eſt, quod memorem Eloquentiæ Tuæ Majeſtatem & potentiam linguæ, plura dicam: nec dicenti fidem negabis CELSISSIME PRINCEPS. Tanta adhuc in prætexta Te ipſo didiceras major, quãta nunc in Sago & Curuli Regni deſideria, ſolatia Civium, Regum & Procerum corda debeant coronare. Coloris cortice ſemoto fateri cogor: in pectore Tuo ad Parnaſſum Apollo, ad Tuſculanum Tullius, ad Heliconem Muſæ, ad Eurippum; quem in Academico hauſiſti Orbe, Ariſtoteles, jure poſſeſſo currunt. Si modeſta demiſſio ſibi contrarium narret, præter graves diſcurſus ubiq; locorum, ad menſam, in qua epulas non luxu inani, aſt luce publica dignîs ſenſibùs diſtingvis, eruditi lepores comprobabunt.

Hactenùs ſpem in viridi ætatis Tuæ culmo fluctuantem Impetui Lechicum lætificanti

R Orbem

(a) *Studia.*

Orbem adjunctam innui; hìc jam ad messem maturiorum meritorum Tuorum collectorem converto calamum, benè gnarus naturæ legis: nihil priùs in fructum prorumpere quàm in florem, prospectant utiq; in solem Aquilarum pulli, antequàm avolare altiùs & firmiùs sentire queant. (a) Plura postquàm egeris in Iagellonico Musæo digna lauru immortali, quàm Socratidæ suis conservarunt Lycæis, quàm Plato aut Zeno togatus impressere libris, aut loquacia Stoæ atria protulere Athenis: Sarmatia se majorem Te jam capere nequit ALEXANDRVM, de quo totus certabat Orbis. Vltrò se dicabant Regna excelsæ menti Tuæ & dotibus magnis, Imperium honores Victori parabat, emeritum palmâ cinctutum Caput. Dederunt Te Superi Lechiæ, ut teneret, exterus tamen poscebat æther, acsi Thydeus optabaris Thebis, trahebaris & Argis, toto Orbe invitabaris ALEXANDER, primò tamen cùm omnibus simul esse unus nequeas Regnis, in Austricas Imperij oras animum divertisti, non immemor praxîs: vitiari aquas quæ quiescunt immotæ, ex natali in alienum solum translati surculi nobiliorem Regalibus mensis acceptandum parturiunt fructum. Actum est de Te CELSISSIME PRINCEPS, ad quod generosa Indoles Tua non vana spe Patriæ, opimîs Parentum, vo-
tîs

(a) *Peregrinatio.*

tîs, honesto honorum ambitu ferebatur. Polita prætexta Apollini Gracio, domi etiam, ne quiesceres, peregrinari videbaris. Antequàm exteros lustrares soles, illustrares Gymnasia, & acies Martis, in Comitia Grodnæ Generalia Te contulisti, ut futurum Orbis Lechicus in Proceribus videret, qualis appares hodie, dum non esses, eò quòd nihil medium spirares, præter primum, inter media vitæ spatia. Inde rediens direxisti Gentilitij SRZENIAVÆ Tui cursum ut, magis Lechicum lætificaret Orbem, in Scepusium præpostero passu comitando Fratrem, iter præripere Tibi dedisti juniori (a) ut ultimâ tempore, primam locô & virtute monstrares diverteatiam. Apello testem Metropolim Pragam, impar tamen Indoli Tuæ theatrum, cujus effecati ingenij Viri ætati Tuæ, non ingenio poterant imperare: ubi Principe digna navando opera, eò mente devenisti, quò corpore non valebas. Musas jam uno Capite Tuo veluti Pyrrhus annulô collectas tenens, millenîs artificiorũ (a) contextam annulîs Bellonam in Sociam vitæ desponsabas. In utraq; Architectura tantùm profecisti Perillô felicior, Camillô sagacior Hiron, ut Patriæ fortalitium, quô tutè servaretur, honoribus augustale, quô foveri possent & residere, extrueres.

 non

(a) *MICHAEL Subdapifer Regni primò in Extera egreßus* (b) *Profectus in Extera*

non morando. Paginæ Mappales, quibus lineas duxisti, urbes, castella, fortalitia metiendo, stupebant pallentes præter innatum colorem, quòd præcepta Artis excessisses. Mundi partes mensurabas Geometra, non ut possideres, aut de inventis doleres, ut avidus plurium Alexander, ast ut scires: quantum homini sit satis possessorum. Inquirebas Geographus, ubi terrarum septicollis Roma conderetur? quô climate propitio, asperonè Cælö? solus sub utraq; ad omnem laborem propensus, nec frigidæ, nec tepidæ obnoxius Zonæ. Aquarum profundo mergebaris sinu Cosmographus, maria non lembô sed animô traiciens, ut, quòd non alibi, quàm alius sis demonstrares. Linquo *Ertsurtum*: ubi, literarum allibi præsidiô benè munitus ad evolutiones Infanteriæ in legione *Generalis* S.C.M. CAYSERSTAIN arma induisti non ut ab eis recepisses tutamen, sed ut Patriam tuereris. Subjecisti aureum caput galeæ, ferro nobiliorem addidisti superbiam sapienti Culmine. Gladium lateri simulq; gladio ingenij acumen unijsti, ut eruditus miles docta manu cervicibus hostiũ Tuægloriæ imprimeres characterem. Prætereo *Lyonam* ubi barbito Apollinis & ferreo Mavortis stylo iterùm aptabas manum, ut utroq; tinnitu terreres hostem, ludendo vinceres, & vincendo luderes, mærentis aures Pa-

triæ triumphorum pæanîs delectando. Adveniſti Viennam fulmen belli in ſubſidium Germanico Marti contra Gallos (a) quo Te innatus fortitudinis vocavit ſpiritus, excepit jubila diſcriminum vaſtitas, cruentorum negotiorum chaos & fortunæ Germanicæ ſcopulus ſalutavit. Hìc operta, quæ fuerant in Te, aperta patebant; ubi, ſi notus Orbi non fuiſſes, antequàm naſcereris, ex ſocijs Principum magnorumq; Heroū, ex LEOPOLDI & IOSEPHI Imperatorū amore, quorum cordibus veluti anima adhæſiſti, noſceris. Excelſa Indoles Tua, quæ Te nonniſi ad ſublimia provexit, ad ardua tulit, incitavit ad pericula. Funeſtum illud maximi belli Gallici obſidium *Moguntÿ & Bonnæ* Imperio fuerat, Tibi glorioſum, de quo ipſi ſtrage hoſtium cruentati campi tot lingvîs narrabunt, quot ſangvineîs Gallorum ſtillîs maduere. Vbiq; igneæ menti Tuæ motum pro quiete dabas, quietem tormentum autumando. Habent enim hoc commune cum Sole magni animi, quòd nunquàm ſubſiſtant, donec curſum ſuum conſumant. In Hollandia & Flandria cæteriſq; Provincijs glorioſa veſtigia Tua, ad numerum non reduco Oratorium, ne infima laude minuantur; in Galliam Gentilitium Tuum *Srzeniavam* profundâ ſequor reverentiâ. Parùm Tibi ad gloriam foret, ſi ipſam

(a) *Præludia præliorum*

domicilij Majeſtatem narrem, cui animus Tuus inhabitans fidem omnibus faciebat, quàm ingens illuc venires Hoſpes, quàm ſenſus Te intuentium occupabas talem eſſe judicantes, qualem morum gravitas & animi fortitudo fatebatur. Parùm ſi memorem: quòd, etſi totus rigebas ferrô cataphractus, non tamen deſijſti à lingvarum Exoticarum ſtudio, ut omnibus ac ſi vernaculâ dicas, & librorum diffluere amore. Parùm, quod docili mente Hiſtorica Virorum collegeris monumenta, vi Magnetica attraxiſti, quæ attracta tenes. Legiſti quid Romæ Pyrrhus egerat, qua ſtrage Hercules monſtra vicerat, quo funere Annibal cumulavit Cannas, quô modô Carthagini infregerat robur Scipio, & everterat Arces? artene, dolônè Vlyſſes incendiſſet Ilium ingens? cur cinerata Troja favilliſs fluctuantibus locum ceſſit ariſtis? quid de Alexandro Curtius? de Trajano Plinius? de Græcia Homerus? de ſtatu Tacitus? quid Codices Legum? Herburtus ſtatutis? quid Florus Latijs hortis & Baronius Actis comprehendant? Ferrerius aut Papirius alter, bellis & libellis Muſarum tibijs, & Martialibus tubis, exercitui & exercitio unâ animum applicâſti. Ideo lateri & amico pectori *LVDOVICI Magni Regis Galliarum XIII.* Pariſiis admotus ſummis animo & fortitudine æquabaris heroi-

roibus Aceſtes, maturus favoribûs Aulæ, præcelſis honoribus deſtinandus. Ductus illos Aquarum Verſali, quos non tam mirabaris, quàm *Impetu Srzeniavæ* in majus artificium animaſti, campos venationi commodos, quò ad utroſq; ultro Regia manu ex ſingulari intuitu meritorum & innata Tua virtute ducebaris, non recenſeo in Belgium curro, quò animoſus igneo ſpiritu Æneas, ad famoſum obſidium Fortalitij *Montis* cum Gloria, primoq; Liliorum Gallicæ Gentis cãdore LVDOVICO, ut majorē Gentilitio Tuo Flumine vigorem adderes, contra Hiſpanos & Hiſpanorum colligatos ferebaris. Acceſſiſti cruentatam illam belli arenam impavidus Heros, quem tormentorum mugitus, tubarum claſſica, plumbea globorum grando, ſæva Martis munia non terrebant, ſed ad ſimiles animabant pro Patria auſus, non ſine gladio pro Fide & Religione ut capita hoſtium ſimul & laureas metere diceris, poſt magnum Achillem ſolus.

Hic jam circa *Impetum Celſiſſimi Srzeniavæ Tui* lentiùs feror attonitus memorando plauſus viales, poſtquam relictîs ſub alieno Sole omnigenæ eruditionis, fortitudinis & gloriæ immortalis veſtigiîs optatus in Patriam redux iter menſuraveris. Quà adſtite vehebaris Phæbo, locîs illîs movebantur ſaxeæ moles, pellucida tel-

lus turgebat gemmîs, depreſſi valles altiorî tumuere cothurnô, demiſſo vertice colles non invios parabant calles; marî, campîs, hortîſq; modeſtiùs ſpirabat æther, omnis in agris ariſta in profundum ſe ſe demiſerat cultum, fragrantia Chloridis pignora flores, maturiq; Pomonæ fructus in novum diffuſi odorem, obvij & comites viarum, Gentilitium *Srzeniavam* Tuum, Teq; in eo pretioſum Vnionem lætiori in Patriam impetu reduxêre.

Excepit Te comitatu tanto Reducem Patria gratiſſimo ſinu, veneratus tantum virtutis depoſitum Senatus, (a) Regni publica ſalus prona in amplexu Tuo conquievit, primam ſortis ſuæ fiduciam, laceratæ integritatis juncturam & ſubſidiũ ſalutando. Omnium prorſùs Civium cordibus inviſceratus Hoſpes, omnium votîs heroum exoptatus Victor redijſti. Sufficit alijs per extera ſolùm movere greſſus, ſed domum regreſſi nec pedem movent in obſequium Patriæ glorioſum; Tu relicta domi quiete, non tantùm armatam manum gladiô, aſt & Pectus loricâ, mox in excurſiones Tartarorum moviſti, ictus eis non ſine fatali vulnere infligebas, ex hoſtilî tabô rigatis campis victrices referendo palmas. Horret meminiſſe animus, penna notare Biſthonum ſtrages, quan-

(a) *Ab exteris redijt Anno 1694.*

quanta tunc per abvios latè ſcuta patebant colles, quanta armorum ſeges collecta haſtîs, quæ tempeſtas ignei Gradivi Lechicîs fluctuavit campîs, ubi, ni Tu Tuo Regniq; exercitu à Polono illo Hectore *IABŁONOVIO* Tibi commiſſo, ſigna ſignis, viros viris, pectora pectoribus, dextras dextris, pedes pedibus, tela telis, & clypeos clypeis oppoſuiſſes, ut non ſolùm impedires, aſt & ſopires furentem barbariem aſtu; aduſq; Patria ſuam deploraſſet cladem. Annîs hoc per Septennium egiſti, non modico tempore in tutamẽ Regni & applauſum, ut Cives conſervares, protegeres Populos, tuereris Majeſtatem. Dies vitæ, dies Martis duxiſti, vixiſti Bellonæ, Martem ſpirans, Sagum ſemel indutum nunquam exuiſti. Deplorant funereos Suæ caſus ruinæ Iliũ Vliſſem, Scipionem dirutæ Carthaginis portæ, Annibalem everſæ Cannæ: Tibi *Novæ Coloniæ* (a) à Magno *HANO Tartarorum* extructæ, quarum ortui funeſtum intuliſti armorum luce oriens, occaſum; ex favillis ſuis & cineribus immortalis gloriæ componunt Olympum. Adijſti eas copiîs militaribûs Reip: Ductor viros ſupereminens omnes adjunctis Tibi Coſacorum ſub regimine PALI Ducis eorum, & SAMVS Colonelli, expertiſſimis, in bellis Turcicis, & Tartaricis, Viris,

T ſo-

(a) *Dabaſcerij.*

ſolus in Te ferebas caſtra, & dexteritas eorum cum Tua dextera movebatur. Et cùm nuntium de funere illo Dubaſierorum propinquior Exercitus Tartarorum accepiſſet, volentes aut impedire irruptionem, aut vindictam ſumere, iniquos vindices cladis ſuæ pluſquàm triginta millia ex utroq; ſecundo Marte profligâſti, hoc nonniſi felices, quibus dulce & decorum mori fuerat, quòd victrici Tuâ dexterâ debellati. More Herculis fixiſti Tibi Coloſſum in confinijs Regni Victoriæ, non terminandi laboris, cujus Author eſſe poſſes, ni hæres maneas, plûs ultra Tibi in Patria & in Imperio agendum reſervaſti. Procedebas Victor lauru coronatus, in meditullium Regni ſuîs in veſtigijs pululantes triumphorum relinquendo palmas, ſpolîjs onuſtus, cumulatus captivîs, quos cùm bellorum Arbitro Lechicæ gentis & Martis Gloriæ IOANNI III. manu miſſos reddideris, tantum heroicæ virtuti plauſum dedit, quem pauci meruêre Duces, Summus hinc bellatorum eſſe cæpiſti, cùm aliis maximus fuiſſes, intraſti Cor Principis cum cætera Procerum deviciſti, intimatus ſerò delebili Reip: memoriæ voce IOANNIS præmia in coronamentum meritorum recepiſſes, licet exceſſeris prima, ni pulſus fatô IOANNES in deſertum æternitatis perrexiſſet. Non hìc Tibi terminalis meta laboris, non hìc

trium-

triumphalis gloriæ pompa. Non Tibi *Camenecum* respirium dedit, non ultricibus armis quietem, quæ in immaniores Hyrcanîs Tygridibûs Turcarum & Tartarorum belluas extendisti alter Affricanus, adversus inferentes Regni finibus damna justissimam inferens ultionem. Stupuêre Tyræ fluctus, cursumq; suum remorarunt retrorsum, ubi ultor iniqui ausûs gladius Tuus latô alveô fusum Ianizarorum cum Tartaris hauserat cruorem; ubi Gentilitij SRENIAVÆ Tui Impetus turritas moles vacuo fastu tumentes, Bystonios Arcus & Sagittas, versos Tuæ fortitudini in triumphum, clypeos & mucrones unico haustu absorbebat. Iterum penna pro sæpia intingitur tabô, ubi finis unius conflictûs, gradus Tibi plurimorum fuerat. Quid Transmarinus Suecorum Leo de Te Tuoq; robore sentiat, quò modô disruptîs faucibûs rugiendo, propriam intonuit cladem? jacentià saxa, latè fusa rudera semirutîs mænibûs cinctæ *Szaniec* (a) si tacerent, diruta, vastata igne, ferro, manu. & pectore *Lizbarg* (b) respondebit. Inter mille Viros, muros unus occupâsti Ductor, cùm ignem jecisti, militem accendisti ad majores ausus, vibrato de vagina ense, acuisti Exercitûs animum, ut Patriam fortiùs tueretur. Annos laborum Tuorum memorem si miraris; ideo: cùm scripta Victoria timidos

 in

(a) *Anno* 1701. (b) 1703.

in prælia moveat & delectet; dierum etiam Tuorum horas numerent per triumphos. Tanto meritorũ ſtimulo præceps forſitan ad honorũ culmina cucurriſti, ipſâ famâ claſſica Tuâ buccinante arbitriô Regis, quà nulli ſecundus unquam eras, ante primos triumphando? minime. More enim magni Syderis per gradus ad augem ferebaris, non viâ inopinati fulminis prima ſtatim faſtigia petentis: ut plures terrere poſſis. In limine Metaturæ Caſtrorum Regni poſitus (a) altioribûs menſurandus, metebas Coſacos, metu etiam liberos ſtupore captos, cruentam Martis arenam die noctequ metiendo. Parùm malleo Aſiæ Macedoni confregiſſe Perſarum robur, Indos quæsîit debellandos: Tu de Turcis, Tartaris, Moſchis, Sueciſq reportatâ ſat virenti laureâ, in Germaniam ad Hungaros profligandos, ſuppetias Imperio ferens divertiſti. Narret *Gacz*, teſtetur *Trenczin*, fateatur *Kiezmark*, quâ fortitudine cum magno Heroe HEYSTER *Generali* S. C. M. *Exercituum*, par impari tamen imperando, momento confeciſti ſtragem, moviſti Aquilas ad prælium volando, militis ſui & Reip: duxiſti manipulos, copioſam gloriæ ſegetem colligendo. Vix ſtetiſti octingentîs armatus; ſeptẽ millia ceciderunt hoſtium; totidemq acie ceſſerunt reliqui victi & captivi, ſub manus Tuas victrices ibant. Caliſſien-

ſem,

ſem, cæterasq; expeditiones non recenſeo; ne virtutibus Tuis aut invidiam, aut odium, quæ potentes ſeqvuntur, ſociarem; in quibus cùm alios Moſchovitica terrebat Hydra, Te ſentijt & pavebat. Extra, de Te Hiſtoricæ gradationis pennæ Labunenſes domeſtici campi, inquibus uno ictu cum feris arte venatoria quadringentos ferijſti Scythas, vinxiſti alios ut etiam caſu inopinato Te narrent Victorem.

In cruenta Martis arena Te ſpectavi notiora ſaltim veſtigia ad calculum Oratorium revocando, nunc in Electorali Ordinis utriuſq; occurrentis elogij licet ſuperes ſenſum, ſequeris tamen memorandus. Duxiſti *Auſpicem* Libertatis noſtræ aduſq; pacis olivâ florentis AVGVSTVM II. verè auguſtum triumphìs & effuſo amore in Patriam Patrem. *WITEGINDIIS* in crucem poſitîs Mucronibûs, quibûs, ut cæpit vincere, terret feliciter hoſtem, Sandecenſis & Chwovienſis Comitatuum Anteſignanus in applauſum moviſti phalanges; ut adjunctîs Polono Acinaci Regno benediceret triumphando. Egiſti Nuntium nunc cordis Illius interpres, hæc libando de pectore, quæ cæteros latent, quæ omnibus proſint & delectent, ex alto Tibi veniente dictamine vocis non ultimus inter Electores votô Regem Poloniæ II. *AVGVSTVM* ſecundö

V aufpi-

auſpiciô Dominantem nunciaſti. Domui Tuæ Tuoq; oraculo oris aurei debet Lechicus Orbis, quidquid in eo Regia Coronatum virtute agnoſcit, veneratur. Quiquid egiſti *MAGNE PALATINE* magnîs auſpiciîs, meliorî fortunâ, optimo eventu Patriæ terminatum. Vigiliæ ſomnus. Tibi erant, æſtus, inedia, algor, invia viarum longitudo, irrequietus labor Te nutrivit. Crevit exemplô Tuô in milite virtus, in Ducibus fortitudo, in Proceribus erga Patriam creſcit boni publici cura & amor. Apello conſiliorum Regni & Libertatis theatrum, in quo ſepties Legatione functus Iudicis & Oratoris gerebas munus unicuiq; quod ſuum eſt tribuendo; (b) orabas potentes, armabas meritos, noxios ſolũ gravitate eloqvij onerando. Iure quodã abſoluto cordibus omniũ dominabaris, affect9 amicè intrabas, omnibus omnia factus, Tibi Te ipſũ non relinquens, Majeſtatem etiam ipſam nutibus Tuis inclinaſti. Gemitus, ſuſpiria & lacrymas Civium in Te receptas portaviſti, retuliſti ſolatia Tecum lata deſideria deſiderato effectu terminata reddiſti, nunquàm rediens ad Coronam Fratrum, ut commiſſa Tuo candori vota, fortunato eventu non redderes coronata. Occupant aliorum priùs animos Syrenum Varſavienſium lenocinia, quibus capti ſe ipſos civili fato, Patriam funereo tradunt.

Tu

(b) *Legatio in comitia Regni Generalia.*

Tu cautior Vlysses obturabas aures, ut ad officia sanus, ad memoriam Posteris evaderes immortalis. In Radomiensi & Roxolani Leonis Sacrario Iuris, stipendia Militum promovendo, injuriam populi amovendo, obortas lacrymarum nube facies Pompiliô clariùs exoptato serenabas successu. Æstimas probitatem, scelus contemnis, gloriam coronas, æquitati non injurius, grande piaculum putans, si aut virtus deformem, aut vitium formosam gerat faciem, & utraq; parî titulô foveantur. Tot Pyritheos numeras Theseus, quot Cives, Proceres, Principes, demissa affabilitate, & clementiâ, prudentiâ, fidelitate obligâsti. Orestem Tui Pilades habueras IOSEPHVM, cætui Generalium Major annumeratus, nunc LVDOVICVM VI. Augustissimum Romanorum Imperatorem *Velt-Mareschalcus Exercituum* Alexandrum Ephestion experiris, ab eo primô emeritæ virtuti collatô Ministeriô, ad altiùs subsellium provocandus.

Siste hìc gressum, Orientis formido, Amor Occidentis, Meridiei Tutela, Aquilonis Victrix & Regina Sarmatia; ex *Srzeniava* Gentilitio in uno GEORGIO exuberantem lætitiæ Tuæ collige Impetum & mirare! Polonîs Ille verè virtutibûs conscendit honoris augustal, meritîs ad altiora parantibûs gradum; age comitem diffusa in

V2 applau-

applausum. Tantus hic Patriæ Amator! ut mori toties elegerit, nisi ut incolumem conservasset; sequere gratum Filium, venerare Curtium & Codrum. Tantus Hic! ut semper prospexerit irruentium malorum cumulos, & dispersserit; venerare centoculum Argum. Tantus Hic! ut Martis acies hostium repleverit strage, consiliis auget Senatum! Alcidam dilige, vide Consum. Tantus Hic! ut etiam quò pulsa Religio, Fides, & Cultus Divinus, exulem propriâ revocaret fortunâ, (a) intuere Alphonsum. Tantus Hic! ut si inter graves etiam negotiorum curas non intermitteret horam, quâ, cum literatis, aut de literatis loqueretur, rem magni existimaret amisisse momenti: Theopompum eruditæ virtutis insequere Cultorem. Tantus Hic ingeniorum Æstimator! ut eruditis animis summa fastigia honorum inclinare vellet, cùm Cælum nequeat; Pompeium seræ posteritati porrige inscribendum.

Paribûs per ardua gloriæ passibûs, ivere Paterno & Materno Tibi sangvine juncti meritorũ & virtutum Comites *IOSEPHVS* & *MICHAEL S.R.I. Principes.* Hic *Commendatarius Tynecensis, Nominatus Præmisliensis,* ad aras etiam Sceptra tenuit & coronas meritorum, dotibûs Pontificiis ultra sublimitatem Infu-

la.

(a) *In Szarograd Mißionem S. I. fundavit.*

larum ad maxima ferebatur, infra ſe titulos ponere meruit, quos habebat. Invitus Tiaram acceptavit, quam cæteri quærunt, non ut opibus colligendis, aſt Divinis officijs inhiaret. Pedô Paſtoralî Athlanticæ collatô dexteræ, non ſe ipſum ſolùmmodò, aſt & Patriam, ne laberetur, fulciebat Antiſtes. Ter beata Tynecenſis Abbatia fuerat Eo Sponſo, qui non dotem ſed Sponſam curavit. Squallebat ſollicitudine *Abbas*, ut illa ſplendeat & ſine ruga foret, indefeſſò labore rugoſam illius depellebat formam. Mentis conſiliô in dubijs, intrepido ac alacri corde in adverſis indies crevit meritis, non ætate maturus IOSEPHVS, omnium laudabilium augmentum. In hoc tantùm elogiari ſuccumbit cenſuræ, quod ſic Orbi & Eccleſiæ vixerit, ut ſua neglexerit & ſeipſum. Cathedræ ornamentum ædibus præpoſuit ſuis. Ardentibûs cerîs Altaria cumulaverat, ipſe ad profanas menſas ardere recuſavit. Laribus ſuis providerat thura, ſed publicis aris Arabiam, ut auro ſpirarent. Induxerat templis populorum frequentiam, à Curia vitiorum ſatellitium repellebat. Sic accreſcens alijs, ſibi ipſi decrevit, marcuit, ubi matureſcendum honoribus erat. Hæc utiq; luminum proprietas eſt; ut, cùm cæteris ſerviant, ipſa conſumantur Ille *Subdapifer Regni Peryaſlavienſis &c.* Capita-

neus,

neus, Cato sensu, dogmate Tullius, pietate clarus, mente fortis, virtute tenax, gravitate verendus, mensas aut aureas Iovis, aut ferreas in Martis posuerat Domo, quas verè Regiîs instruebat dapibûs, nam boni publici amore, fidelitate erga Regem & Patriam. Sylvestres alijs ad mensas placent, Ei doctissimi & modesti arriserunt lepores, non sine sapientiæ sale. Amicitiam non locorum spatiîs, sed amicorum moribûs mensuravit. Nemini molestus, nemini injurius, alieni nō appetens, sed profusus sui in Pauperes & Ecclesias, quarum quoties adiverat limina, tunc maximè Princeps esse voluit, quando Divorum altaribùs, circa Mystarum officia adfuit Minister. Templo fundamentum jecit, & sibi gloriæ immortalis, ab infimo cæpit maximus Divini honoris Cultor. Lapidem angularem posuit adultus meritîs, immaturus ætate, sepulchralem tamen declinare non potuit. Cælos animâ, mærore Patriam, & Ecclesiam Romanam affecit, Cardinalitium Muricem pallore, qui Ducali Purpuræ cupijt sociari. Quid de Celsissima Germana Sorore Tua ANNA de *Lubomirz* Comitissa, primò *WIELOPOLSCIA* post *MAŁACHOWSCIA Palatina Posnaniensi, Łukoviensi, Krzeczoviensi, &c. Capitanea* narrem? ut condignè; quam Majorem Fratribûs ultimô locô pono,

no,

no, veluti Dearum consortio numerandam. Ingenij altitudine, supra prima Sapientum culmina, eloquij Majestate supra Tullios & Pericles consiliô & prudentiâ supra Curules, morum gravitate & solidæ eruditionis dotibûs supra innatam sexui suo Indolem ferebatur. Pietate Metellos, Liberalitate Vespasianos excedere videbatur, cùm horas etiam dierum perdidisse doluerit, si singulîs, aut inopes non ditâsset opibûs, aut aras & Ecclesias splendida dote aliqua non ornâsset. Lingvarum ferè omnium idiomata novit, lingvam tamen non movit in excessum, sed interprete quadam secùs ac Vate cordium intùs latentia scrutabatur. Os & pectus illius Cyrrhæ dicerem domicilium, ni sanctiora oracula Sapientibus etiam ut proficiant, pijs, ut ad majorem DEI moveantur cultum, oracula funderet indies copiosè. Silere nefas Oratori de Tuis & ad eos à Te non digredi *Celsissime Princeps*, qui numerô non nexu sangvinis à Tua distingvuntur magnitudine, cùm & inde Nomini Tuo accrescere Panegyris debeat, undè amoris Tui documenta crevère. Submitto vectigalem pennæ reverentiam *Celsissimæ Consorti Tuæ*, (a) cujus Tu ipse elogium es, illa Tua Corona, cùm & de Te nihil majus dici possit, quàm Illa, nec de Illa præ-

 dica-

(a) *Ioanna Comitissa ex Starchausenorum vetustissima Familia in Imperio.*

dicarit nobilius, quàm Tuæ gloriæ celſitudo. Gemma hæc magnarum virtutum candore venuſta, & tantô præcelſi *Starchauſenorum* Sangvinis Pelagô, profluxit Gentilitio *Srzeniavæ* Tuo, ut cùm primis in Imperio honorum faſcibus, Principum, Comitum, Baronumq; Purpuris & Heròúm fuſo pro ſtatu & Religione cruore ab ævo ſit emenſum, calamô nequit menſurari, nec indiget laude, cultu potiùs non imbellî facundiâ venerandum. Hactenùs Impetu Gentilitij *Srzeniavæ*, felicibûs Majorum & meritorum Tùorum fluctuantibûs undîs, Lechicum recreabam Orbem, hic ſpem colligat de futuro ex Celſiſſimæ Prolis Tuæ Ternione, qui tuendæ ab omni parte natus Patriæ. Veretur penna tangere, pagina capere ANNAM CAROLINAM; hæc ne atrâ ſæpiâ candorem temeret, illa, ne pallida ad purpureas erubeſcat dotes. Naturæ etenim beneficiô collectam Majeſtatem tenet, ſpecie Imperiorium, corpore elegantiam, mole corporis virtututũ medullam. Quô dens, oris ebur niveir, quô oculi, lumina Cæli, quò labra Pæſtanæ roſæ, nativaq; Purpura, quô coma deflectit, Cyrrhes aurea, quam ipſe Phæbus vellet eſſe ſuam & habere vitæ comitem. Pallas Ei ceſſit Sapipientiam, Bellona animi fortitudinem, Aſtræa bilancem, Iuno pulchritudinem, Veſta verecundi-

am,

am, pietatem Helena, Chloris decora florum, ut Dea coli possit mortalì ingeniô, si terris ut olim Numina crearentur. Ipsa virtus hæret stupore, quòd tantum valeat in tam delicato subjecto, cùm non raro in fortioribus minuatur. Nudas olim Veteres pinxêre Charites, at illa etsi ore gratias spiret, non sine gloriæ ornamentis, nutu ligat pectora, corda trahit in catenas, Orbem attonitum facit, quòd cùm colligata teneat decora, quæ cæteris sufficiunt singula ad elogium, tamen eminentiam tantæ magnitudinis nube modestiæ tegit non elata. *I STANS LAVS*; Celsissimæ Gloria Domûs, solatium Patris ad maxima Nate! fama publica in calamum vocat ad applausum *STANISLAVM Sandecensem &c. Capitaneum*, Qui teneram ætatem adultîs Virtutibûs metitur, & anticipat, non eum ætas. Seqvuntur annos alij, Illum anni præcurrunt. Iuventutem meritîs antecedit, & sapit ante annos. Decimum tertium ducit annum, sed penè centesimum maturô judiciô, solidâ prudentiâ, solertiâ mentis superavit. Herculem monstra probant, Typhin maria, Achillem prælia, illum Heroém quælibet actio indicat seipso majorem, parem maximis, futurum Defensorem Patriæ & Consulem Regni. Dresnæ in publico Orbis Europei theatro, quô nec Græcia in suis Olympijs, nec Roma in maximo Circo major, non ut in foro discat, sed do-

ctus in forum venit, documenta Principibus dedit heroicæ Indolis, rediens in Patriam veluti Author Regiæ gloriæ, ex asse ideam immortalis pompæ remonstravit, hinc vel maximè immortalis triumphorum agnoscendus hæres. Augetur in *JOSEPHO Iaorlicensi &c. Capitaneo* indies crescens Nominis Tui magnitudo, Domûs Celsissimæ ut nunc magnarũ qualitatum, ita semper harũ rasa tabula, vetus Polonorum erga Patriam, Cives, Libertatem, Legem & Fidem prototypon, morum gravitas, modestia gravis flos virtutum, sublimium honorum gradus. Vestigia Tua sequitur, tritum callem meritorum prope ingressurus. Pusionem adhuc adultis viris ætas æquat & animi fortitudo. Incepit annum decimum, jam excessit senectam, quē ipse lactis candor ab ubere Matris fusus pendulum, canæ gloriæ fecit Candidatum.

Ascende itaq; auspicato omine destinatã meritis Tuis Curulem, capesse geminatîs honoribûs & titulîs sine fine novis, Lechiam consilîjs rege, quã tuebaris armîs, Saturnîjs sæculîs imple Senatũ, *Magne Senator*, quem magni Aborigenes trito sui tramite & relictîs vestigîjs procedentem præcessere, comitantur Nati, victoriosa fortitudo tot coronata trophæîs, aurô fusô perennantibus imprimēda fastis evexit, Purpurat, magni Sãgvinis decor, altiùs vehit, copiosiùs perorat, solusq; præ-

stat

ſtat omnibus qui Te attingere nequeunt. De quo vaſtiùs diffunditur *Gentilitius SRZENIAVA* gaudîjs Orbi Lechico fluens. quàm Delius vates ex Tripode mæſtis oracula pandat, auguſtiùs tollitur, quàm calamus ſæpiá gravis dirigi, aut ſtylus ſi verborum pondus habeat, eluctari poſſit. Seqvnutur Te Illuſtriſſimæ Primarum Proſapiarũ ceræ, quæ à puro & illimi animo Tuo, qui nonde Promethei foco, aſt de Fonte abyſſi Luminum ſcintallat, clariorem derivant ſplendorem. Non unam partem Orbis illuminat Titan, dum aſcendit Hemiſphærium, non unã Provinciá alluit Oceanus, dum diffunditur. Gentilitius *SRZENIAVA* Tuus, cùm eò attollitur, quò altiùs in alijs elevatus Impetu ſuo Lechicum movens in tripudia Orbem, colligatos profundo Tuo magnarũ Originum latices, quos ſpectare, quàm enarrare faciliùs, ſecum aſcendere trahit. Sereniſſimi *SOBECCIORVM Campi* vitricibûs palmîs & laureîs littora cingunt. *WISNIOWIECCIORVM* cum *SIENIAVIIS Lunæ* emergunt, Auſonum Te ſpeculantur Ducem, accendunt aurea ignibûs in jubilum aſtra. Bellatores *SANGVSZKORVM, CZARTORYISCIORVM Equites, WIELOPOLSCIORVM Pegaſus* ſe ardui ferunt totum per agmen coronati, Fluminis muſá, æſtu Martis aduſti, Aganip-

pen Tuam hauriunt, ut velociùs consequantur. RADZIWIŁORVM & IORDANORVM *Tuba* per auras & aures Mundi vocales gratô susurrô pellucidæ Lymphæ jungunt Classica Martis. POTOCCIORVM *Pilava* geminat signa KONIECPOLSCIORVM *Solea*, & si suum emensa gloriæ iter in Arcum erigitur triumphalem. In portu struit Capitolium TARŁONVM *Ascia*, MALACHOWSCIORVM *Fascia* sinuatur in amnem, ut totum collectas teneat per Orbem partes. OPALINSCIA *Argo* pro pretiosa merce, *Caput* DENHOFFIVM aureo vellere pretiosius vehit. Gemmeæ MNISZKORVM *Pennæ*, BRANICCIORVM *Swoboda*, BILINSCIORVM *Iunosza* alite cursu inseqvuntur *Flumen*, ut voluptatem ferant, aut hauriant. BOKONORVM Sphæricus Orbis demittitur in aqueum sinum, DEBINSCIA *Virago* LIPSCIANI Fluminis emensa profundum, Virginibus Tuis sociatur *Aquis*. Vernantia Regno SZEMBECIORVM *Centifolia* odorem addunt, & coronam. Circumdant Te Majorum Gentium Proceres, & effusa examina turbæ, quarum ora & tecta absens implebas, sola oculis in tripudijs indignatio erat, quod Te prius non ferrent, quàm vota & desideria acceptârunt. Læto contestantur gaudia plausu, ne de eorum in Te propensione dubitare audeas. Ingens solatij fertur ad astra sonus, inter publicæ famæ classica & *Aquilæ* Palatinalis strepitus, cum eò Tuum feratur Nomen, quò ingentia merita, & Amicorum vota extulerunt. Festinat Istula Famam Tuam universo provehens, susurro omnium ingeminat votum, ut donec suum remoretur cursum; sic in Te, uti in Majoribus Tuis Orbem Lechicum Gentilitij *Srzeniava* Tui non desinat recreare

IMPETVS.





